
EX - LIBRIS
Annibal Fernandes Thomaz
NOBILITAS MEA NOMEN
PASTOR

125002.

O gravador Cartarius era dal. de Jesus —
Este livro é extremamente raro. Impresso em 1585.
Contem o volume as duas partes.
Brunet não conheceu este livro.

Camillo Castello Branco


Comprado em Coimbra em
1873


This book was engraved by Cartarius. It is very rare, was printed in 1585. It is in two parts. Brunet did not know of its existence.

Em um cathalogo de livraria franceza —
offerece-se um ex. por 100 fr. 70 fr. cat. Tron, nº 4 de 1876
sob nº 2609 em enc. ant. de mar.



PASCE . ESVRIENTES





SEPELI . MORTVOS



DA . POTVM . SITIENTIBVS

ICONES
OPERVM . MISERICORDIÆ . CVM
IVLII . ROSCII . HORTINI
SENTENTIIS . ET . EXPLICATIONIBVS

PARS . PRIOR
EORVM . QVAE . AD . CORPVS . PERTINENT

IMPENSIS
BARTHOLOMÆI . GRASSII . ROM .
BIBLIOPOLÆ

INCIDEBAT . ROMÆ . MARIVS . CARTARIVS
CIↃ IↃ XXCVI
CVM . PRIVILEGIO



AVCTORITATE SVPERIORVM



SVSCIPE . PEREGRINOS



OPERI . NVDOS




REDIME . CAPTIVOS



INVISE . AEGROTOS

~~De Don Antonio de Robles y Guzman~~

D. Joseph ... Rubio



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO P. CLAVDIO AQVAVIVAE PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV

Bartholomæus Graſsius Romanus Bibliopola S. D.



NTER eximias virtutes, quibus hominum vita ornari ſolet, Religioſiſſime Claudi Aquauiua, eorum munificentia, qui de alijs benemereri ſolent, maximo ſemper in pretio, atq. honore habita eſt. eius enim munere deliniti mortales, homines conditione naturæ ſui ſimiles cælo locarunt, & multo maiore quam vt in homines caderet veneratione dignos, Deorum nomine conſecrarunt. Ita nimirum accepti beneficij cogitatio mentes occupat, vt cum nullo modo is, qui accipit ſibi ſatisfacere in referenda gratia poſſe videatur, non defuerint, qui eouſque progreſſi ſint, vt debitos vni vero Deo honores ad eos, a quibus beneficijs ornati eſſent, transferre non dubitarint. eodem prorſus affectu; ſed veriore euentu Chriſtiana Reſpub ciues ſuos pietatis inter ſe opera exhibentes cælo attollit, dignoſq. exiſtimat diuinis inſtructa promiſſis, qui non inter ſidera, ſed inter cælites ipſos feliciſſimum locum obtineant. Eſt autem campus operum duplex, in quo excurrere Chriſtianæ caritatis virtus ſoleat: nam cum & animo conſtemus & corpore, vtraq. pars proximi ſæpe auxilio indigens pie ac miſericorditer adiuuari poteſt. In his pietatis exercitationibus cum multos variis modis occupari videam, prout cuiq. certa quædam viuēdi conditio data eſt; ſane lætandum mihi eſſe video, quod in eius artis genere verſari contigerit, in qua non exigua publice benemerendi occaſio præbeatur. Quis enim ignorat quantum vtilitatis humanum genus ex Bibliopolarum, ac Typographorum laboribus capiat? Eorum præſertim qui non ad ludicras fabulas libidinis, impudicitiæ, aliorumq. ſcelerum conc-

liatrices;ſed ad augendam Chriſtianam pietatem, animosq. a flagitiis reuocandos ſtudium conferunt. Hunc ego ſcopum cum ab initio propoſitū habuerim, conatusq. ſim ſemper, vt ex mea officina prodirent opera, quæ publicam vtilitatem adiuuarent:tum hic liber qui modo in lucem editur eius generis eſt, vt non modo ipſe legentibus vtilitatem vberem allaturus videatur, ſed etiam admoniturus quemadmodum alterum alteri prodeſſe oporteat. Prodeunt enim vniuerſæ miſericordiæ opera in duas claſſes diſtributa, quarum ab vna corporibus, ab alia animis adiumentum quęritur. Hæc,& imagines a Mario Chartario diligenti ſtudio delineatæ oculis ſubijciunt,& multo magis explicationes,quas ſumma cura vir & ipſe non minus pietate quam liberali omni doctrina excellens Iulius Roſcius Hortinus adiunxit animis conſideranda proponunt. Cum igitur cogitarem in cuius potiſſimum nomine hoc opus appareret, tu mihi religioſiſſime Aquauiua occurriſti, cui id iure deberi videretur, vel ipſo in primis Roſcio rogante, qui quidquid eſt,florentiſſimo ordini Societatis I E S V acceptum refert, ſub cuius diſciplina in Seminario Romano IACOBI SABELLI Card. ampliſs. ſingulari beneficio eſt inſtitutus. id ipſum mea antiquiſſima in familiam tuam ac te in primis obſeruantia ſuadebat. Tu enim fluuium illum aquæ viuæ ſplendidum, atq. vberem ſemper adamaſti,a quo tamquam riuuli eorum operum, quæ hic tractantur,exempla fluxerunt.Nam qui ſub tuæ gubernationis prouidentia viuunt miſericordiæ amantiſſimi Patres,hoc maxime inſtitutum colunt,vt totos ſe ijſdem,de quibus loquimur,actionibus dedāt. Nullum eſt pietatis opus quod illi diligenter,ac ſtudioſe non peragant. In Xenodochijs ægrotos inuiſunt,ſolantur,cibum præbent ac potum : per templa,vicos,fora,compita populum docent diuinarum rerum præcepta. In carceribus conſtitutos & conſilio iuuant,& ſubſidio:tum hortantur homines ęquo animo,vt condonent offenſas,& iniuriarum obliuiſcantur:ſinguli certas horas ſepoſitis reliquis curis dant orationi:non pauci per varia collegia in inſtituenda iuuentute egregiam & religioni,& Reipub. operam nauant Plurimi in remotas terrarum partes, atque in nouum vſque terrarum orbem diſſeminati, Chriſtianæ fidei terminos propagare ſtudent. Horum omnium ordini vt gubernator in naui, in qua alij malos ſcandunt,alij huc atq. illuc per foros curſant, alij alia munera exercent, tu clauum tenens ac vigilans præes, atq. ita præes vt laborem, qui ſingulorum eſt,ad te vnum pertinere exiſtimes His de cauſis rem & mihi & tibi mirifice congruentem me facturum exiſtimaui,ſi has piorum operum imagines,atque explicationes tum meo, tum etiam Iulij Roſcij tui ſtudioſiſſimi nomine tibi potiſſimum dedicarem. Tu, vt ſpero,optime Aquauiua,non offerentis animum ex munere, quod eſt per ſe exiguum,ſed ex animi propenſione,ac voluntate munus ipſum quod offertur ponderabis Tua vero tuorumq. omnium in his Iconibus pietatis inſignia expreſſa conſpiciens,merito etiam lętaberis. Vale,Romæ Idib. Ian. CIϽ IϽ XXCVI.



DE MISERICORDIAE LAVDIBVS IN VNIVERSVM.



Isericordia, qua homo hominis calamitate commouetur, ad eiq. benefaciẽdum impellitur, præclarissima quędam virtus est, & quæ nunquam satis pro dignitate laudari possit. Prima illa eius laus esse videtur, quod Dei maxime propria dicitur, hominesq. qui eam complectuntur, Deo quam simillimos reddit. Ego (inquit idem ipse in Deuteronomio) sum Dominus Deus tuus, & faciens misericordiam in multa millia diligentibus me. *Deut. 5.* Huius illi virtutis complures titulos aggerat Moyses cum sic inuocat: Dominator Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atq. peccata. *Exodi 34.* Canit Dauid. Misericordia Domini super omnia opera eius. *Psal. 144.* Nec multum dissimilibus verbis sapiens filius: Misericordia Dei super omnem carnem. Scio ait Ionas, quia tu Deus clemens, & misericors, & patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitiam. *Ionæ 4.* Quid ipsa veritas in Euangelio? Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. *Lucæ 6.* Quid Paulus? Obsecro vos per misericordiam Dei. *Rom. 12.* Quid Iacobus? Misericordia superexaltat iudicium. *Iacob. 2.* Quid deniq. sancta mater Ecclesia? Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere.

Alia quædam attributa diuini numinis abdita, atq. occulta sunt. Misericordia ita in aperto est, vt iure optimo a Regio Propheta illo celebretur elogio: Secundum altitudinem cæli a terra corroborauit misericordiam suam. *Psal. 102.* Quid in primis tam miserum, quam nihil esse, hoc est omnino non esse? Hanc Deus hominem de nihilo creando, ante omnia miseriam sustulit; at qualem quantumq. creauit? Minuit eum paulo minus ab angelis: gloria & honore coronauit eum, & constituit eum super opera manuum suarum, omnia subiecit sub pedibus eius. *Psal. 8.* Dedit ei pro domicilio paradisum, locum voluptatis & delitiarum; in quo, vt D. Gregorij verbis vtar, ita positus erat, vt si se ad conditoris sui obediẽtiam vinculis charitatis adstringeret, ad cælestem angelorum patriam, quandoq. sine carnis morte transiret. *14. Moral.* O insignem diuinæ bonitatis munificentiam? Erat homo ad imaginem Dei conditus, æternus futurus, & immortalis, nulli calamitati obnoxius; sed felix ac beatus, cęloq. sine interuentu mortis destinatus; at ille cum in honore esset, non intellexit; diuinum mandatum violando decidit a felici statu, originalem iustitiam amisit, mutauit illam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum: *Psal. 48.* *Psal. 105.* nec tamen Dei infinita misericordia, quem semel erat complexa, destituit. Non statim post peccatum meritis suppliciis affectus est homo; sed contentus Deus eum è paradiso emittere, mundum illi vniuersum tanquam domino, ac regi ad habitandum concessit. Quanta autem misericordia fuit, ei rationem atq. intelligentiam relinquere, qua, & sibi consulere, & ceteris animantibus posset imperare?

Psal. 118. & 32. Quidquid igitur, vel sub cælo, vel in cælo est, humanæ commoditati, Deo miserante, deseruit: Misericordia enim Domini plena est terra. Agris fruges; collibus vuas; siluis ligna; intimis terrarum venis lapides, & varij generis metalla prębentibus. Misericordia domini plenæ sunt aquæ, seu marium, quibus vtimur ad commercia, & copias, ex longinquis regionibus aduehendas, seu fluminum, quæ & campos irrigant, & regiones terminant, seu lacuum, lautis & preciosis piscibus abundantium; seu fontium, qui non ad potum modo & ad lauacra; sed ad delitias quoq. & oblectationem expetuntur. Misericordia Domini plenus est aer, quo spiritum ducimus, qui tenuitate, ac perspicuitate sua lucem excipiens varium nobis ac pulcherrimum mundi ornatum ostendit, quem sexcenta auium genera peruolitant & ad esum nobis, & ad voluptatem iocundæ, quo agitato modo lenes auræ ad æstus refrigerium excitantur, modo vehementes venti ad opportunitatem nauigationis exurgunt: modo vi spiritus attractis nubibus efficitur, vt sata imbribus irrigentur. Misericordia Domini plenus est ignis, cuius & si remotior sedes philosophis ponitur lunæ proxima; inseruit tamen illum diuina bonitas terris ipsis, ac lapidibus, vt & ad vsum calefaciendi, & luminis & coquendorum ciborum ferriq. fabricandi vti possemus.

Ac si superiora spectemus: Misericordia quoq. Domini plenum est cęlum. Quis enim non intelligat cælestium rerum officia ad vsum humanæ vitæ esse temperata? *Gen.* 1. Fecit, inquit Moses, Deus duo luminaria; luminare maius, quod pręesset diei, & luminare minus, quod pręesset nocti. Igitur sol perenni cursu, & spatiis inæqualibus orbes annuos; oriens diem exerit ad laborem, occidens noctem offundit ad quietem; abscedens longius hyemem facit; accedens propius æstatem reducit. ver quoq. & autumnum pari ferme abscessu, & accessu reuocat. Quorum quatuor temporum vicissitudine hybernis pruinis in vbertatem terra pinguescit, verna temperie floribus spem fructus afferentibus prata renident; æstiuo calore fructus ipsi, frugesq. ad maturitatem perducuntur; autumnali copia ad vitam sustentandam cellæ omnis generis cibariis complentur. Luna quoq. noctium gubernatrix & aucti etiam, & imminuti splendoris vicibus mensium spatia distinguit, & cæcas horrentesq. occultato sole tenebras fulgore suæ claritatis illustrat, vt æstiua itinera, & expeditiones, & opera sine labore, ac molestia confici possint. Astra etiã cetera quid aliud, vel ortu, vel occasu suo præstant, nisi quod certis stationibus varias temporũ opportunitates hominum actionibus subministrant?

Aeterna hæc sunt diuinæ misericordiæ monumenta toto mundo diffusa, quibus nos ne post peccatum quidem primorum parentum spoliare Deus voluit; sed omnia ita vt initio creationis suæ propter hominem facta erant, homini possidenda, ac fruenda reliquit. Quid autem de reddita humano generi salute dicemus? Tota enim Adæ progenie primæ illius inobedientiæ lapsu perdita, atq. ad inferos ruente, *Ioan.* 3. sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, qui infirmitate nostrę carnis assumpta cladem illam reparauit, nosq. ex Orci faucibus ereptos, cęlo, de cuius possessione depulsi eramus, propria morte restituit. Quod maius dari poterat specimen misericordiæ? Quam merito hoc admirabile pietatis sacramentum appellat Apostolus; cum quo ita magna erga nos beneficia coniuncta sunt, vt ne ad ea quidem recensenda sufficere valeamus. Statim enim atq. per crucem exaltatus est Christus a terra, omnia traxit ad se ipsum; sacræ videlicet fidei pręedicatione toto orbe disseminata, omnes gentes, ac nationes, quæ antea crassis ignorantiæ tenebris offusæ iacebant veritatis luce sunt illustratæ. Cuius autem ueritatis? cęlestis nimirum atq. diuinæ, ad quam philosophia terrena, tanquam noctua ad solis radios penitus cęcutiebat. Nec cognitio modo veri ac falsi, mundo data est; sed gratia tanquam a fonte per septem sacramentorum riuulos copiose defluxit. Iure igitur Pater misericordiarum Deus à D. Paulo, & diues in misericordia dictus est, meritoq.

hanc

hanc primam misericordię laudem ponimus, quod Dei maxime propria est, ac peculiaris.

Alterum huius eximiæ virtutis decus ex primo nascitur, quod cum homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus sit, manifesto conuincitur, nullam ex omnibus virtutibus magis homini conuenire, quam misericordiam. Itaque sicut nulla est diuinior, ita quoq. nulla est humanior virtus. Hoc ne gentium quidem philosophiam latuit, quæ hominem sociale animal, & communi bono genitum asserit: cuius positionis non Platonici tantum, aut Stoici, aut Peripatetici; sed etiam Epicurei ipsi defensores, qui omnia ad voluptatem referenda esse dixerunt. Nam si voluptas quærenda est & quies & ocium, vt vitæ commoditas laudetur, necesse est misericordia, cuius beneficio hæc inuicem inter homines exhibentur. Et profecto mutuum hunc inter nos humanitatis affectum naturæ in primis communio, & similitudo commendat. Quid enim tam naturale, quam vt diligamus eos, qui eadem carne, ijsdem neruis, ijsdemq. ossibus, quibus nos compaginati sunt? Qui eiusdem aspectus decore refulgent, idem vitæ stadium currunt, easdem actiones exercent, ad eundem exitum tendunt, ad eandem beatitudinem sunt creati?

At quam iuste profanus quidem; sed nimis in hoc verus historicus conqueritur? *Pli. lib. 7. hist. natur.* Cetera animantia in suo genere proprio degunt, congregari videmus, & stare contra dissimilia; Leonum feritas inter se nō dimicat: Serpentum morsus non petit serpentes, ne maris quidam belluæ, ac pisces, nisi in aduersum genus sæuiunt. At homini plurima ex homine sunt mala. Certe omnino naturæ repugnans est, ac rationi, vt mitiores inter se feræ, quam ipsi inuicem homines videantur. Hoc argumēto vsus est Esaias, dicens: Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. *Esa. 58.* Caro nostra est proximus noster. Ex vna matre & vno patre descendimus. Si putamus, inquit Augustinus, non esse proximos, nisi qui de eisdem parentibus nascuntur, Adam, & Euam intendamus, & omnes fratres sumus. *Lib. de disci pl. Christiana.* Quin sicut vna est natura omnium nostrum, ab eodemq. principio propagata, ita eisdem omnes miseriis subiecti sumus. Communitas igitur miseriarum efficit ipsam misericordiā, tanto magis hominis propriam. In omnes enim ab initio prolata illa sententia est. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: totumq. genus humanum illa patientissima Iob querela complectitur. *Gen. 3.* Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miseriis. *Iob. 14.* Si igitur, quemadmodum ait Apostolus, si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; *1. Cor. 12.* quid non æquum erit, cogitando in eandem calamitatem, quæ proximum premit, nos quoq. posse incidere, misericordia commoueri?

Sed & animantibus ratione carentibus, ac siluestribus feris videmus, naturam, peculiarem quendam erga hominem pietatis instinctum ingenerasse. Itaq. antiquis historiis homines celebrantur, quos aut lupa, aut canis, aut capra, aut vrsa, aut cerua, aut aliæ quępiam feræ admotis vberibus incredibili pauerunt humanitate, vt manifesto appareat misericordiam non humanissimam modo esse virtutem, sed maxime etiam communem & naturalem. Hanc præcipue in nobis diligit Deus, vt toties in scripturis testatur. Misericordiam volo, & non sacrificium, per Oseam *Osee 6.* & in psalmis, Misericordiā, & veritatem diligit Dominus. *Psal. 83.* & in Prouerbiis, Facere misericordiam, & iudicium magis placet Deo quam victimæ. *Prou. 21.* Et apud Micheam: Indica bo tibi o homo quid bonum, & quid Deus requirat a te: vtiq. facere iudicium, & diligere misericordiam. *Miche. 6.* Deniq. innumeris locis cum in veteri tum in nouo testamēto confirmatum est, eos maxime Deo gratos esse, quorum insignia extant erga proximum opera misericordiæ. Nec mirum, si misericordes diligit Deus, cum sit ipse maxime misericors. Omne enim animal diligit simile sibi, vt est in Ecclesiastico. *Eccle. 13.*

Hinc tam multiplex huic vni virtuti proposita remuneratio, & tam varia præmia, vt nihil possit esse iocundius, quam illa memoria sæpius & cogitatione reco-

lere. Quid enim illis scripturarum verbis dulcius esse potest? Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Iocundus homo, qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in iudicio. Benefacit animæ suæ vir misericors. Omnis misericordia faciet locum vnicuiq. secundum meritum operum suorum. Qui pronus est ad misericordiam benedicetur. Qui sequitur iustitiam, & misericordiam inueniet vitam, & iustitiam. Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in seculo permanet.

Omnia autem vno versiculo Christus complexus est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed quot modis misericordiam consequētur? Quibus vero non consequentur? Pietas enim ad omnia vtilis est, inquit D. Paulus, Promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Vtilis ergo est misericordia, & pro præsentis vitæ bonis acquirendis, & futuræ. Date diuites, & dabitur vobis. Nolite metuere, ne charitatem pauperibus exhibendo, diuitiæ vestræ minuantur. Qui dat pauperi, non indigebit, inquit Salomon. Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius. Quare, vt suis locis ostendemus, experientia compertum est, eorū opes, qui erga egentes munifici ac liberales fuerunt, diuinitus auctas esse, constituente Deo super multa eum, qui fideliter pauca bona sibi commissa dispensasset. Iure igitur in Prouerbiis scriptum est: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Reddet enim Deus seu panem, seu vinum, seu vestimentum, quod pauperi dederis cum fœnore; terrenasq. substantias pauperibus distributas, vt B. Gregorius ait, magis, magisq. multiplicabit. Quod idem a Salomone manifeste promittitur dicente: Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarū da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.

Iam quicquid in vita iuste optari potest à Deo, nulla ratione melius, quam suffragantibus misericordiæ operibus possumus impetrare. Quas enim in terris elargimur eleemosynas, quemadmodum in actis Apostolorum legitur, ascendunt ante conspectum Dei: tunc fit, quod in Ecclesiastico promittitur: Cōclude eleemosynā in sinu pauperis, & hęc pro te exorabit ab omni malo. Recordemur piæ illius Sunamitiuis, quæ cœnaculum fecerat, vt quoties Helisæus propheta Sunam trāsiret inuitatus in eo exciperetur: ob hoc cum virum senem haberet, & ipsa esset sterilis orante Helisæo meruit esse masculæ prolis mater. Quale [a] donū multo post tempore in Christiana Ecclesia Euphemianus ciuis Romæ nobilissimus, ex familia Sabella, & Aglaia vxor eius eiusdem misericordiæ merito impetrarunt. Pollentes enim diuitijs, cum filium habere non possent, quotidie stratis triclinijs pauperculos domi conuocatos reficiebant, propriis manibus ministrantes. Quibus pietatis officijs meruerunt parentes fieri celeberrimi viri Alexij, quem ob eximiæ sanctitatis famā merito inter familię suę decora Illustrissimi Sabelli proceres numerant. Eo autem adepto filio, eoq. vnico contenti, deinceps cōtinentiam inter se perpetuam coluerunt. Tot igitur fructus peperit eleemosyna, vt sterili partum daret, partui sanctitatem parentibus castimoniam, omnibus æternam felicitatem.

Admonet hic locus, quoniam in Romanū hominem incidimus, vt [b] alterū eiusdem vrbis & familię lumen B. Gauinū [c] nullo modo silentio prętereamus, qui miraculo ostendit eleemosynam non modo sterilitati fœcunditatem, sed etiam corpori sanitatem promereri. Anno [d] enim à CHRISTI ortu circiter millesimo pręfectus prouincię Sardinię grauiter lepræ morbo infectus tenebatur: cui apparens B. Gauinus in somnis, locum indicauit in ciuitate Turritana, in quo suum & Proti ac Ianuarij sociorum in martyrio, corpora per ducentos annos delituerant: iussitq. pręfecto, vt si is morbo liberari vellet, sumptibus non parcens, templum Deo viuo ac vero suo nomine ędificaret. Qui expergefactus ad locum sibi ostensum perrexit, atq. architectis adhibitis eo ipso in monte, qui sibi fuerat pręmonstratus, atq. Vrbi Turritanę imminet, magna impensa templum magnificum, quod est totius

Psal. 40. *Psal. 111.* *Prou. 11.* *Eccle. 16.* *Psal. 23.* *Eccle. 40.* *Matth. 5.* *1. ad Tim. 4* *Prou. 14. & 17.* *Matth. 25.* *Prou. 19.* *Prou. 3.* *Act. 10.* *Eccle. 29.* *4. Reg. 4.*

a Ex vita q̄ habet Metaphrastes.

b Ioan. Frāciscus Tarassaren. lib. 1. de reb. Sardois sub anno mundi 4260. p. 75.

c Lege etiā historiam S. Gauini descriptam ab Antonio Cano, Saluatore Saleputio Archiepiscopis Ecclesię Turritanæ & magistro Petro Io. Gribaldis.

d Hāc historiam refert

inſulę metropolis,quodq. ad hanc diem vſq. plūbeis laminis operto cum inſignijs familię Sabellę viſitur,extruxit.Quo facto Pręfectus à leprę lue,qua diu grauiſſime laborarat,conualuit.

Eſt igitur illud etiam eleemoſynæ genus Deo pergratum, quæ in diuini cultus ornatum extrūctionem,ac reparationem eccleſiarum refertur. Cuius operis vſus præcipue a magnatib. atq. opulentis viris poſtulatur,qui vno tēpore & Deum honorant, & non obſcurā populis tenuioribus eleemoſynam elargiuntur, quibus cō moditatem præbent, vt patefactis tēplis rei diuinæ,ſuarumq. animarū ſaluti vacare poſſint.Hæc ſpectaſſe illos credēdū eſt, quib. huiuſmodi beneficētia vti graue non fuit.Inter quos ne ab Illuſtriſ. familia Sabella, quādo in eius mentionē incidimus, diſcedamus, inter ceteros,quatuor ex ea Pontifices locū inſignem tenent.Nam & S. Liberius [e] baſilicā B.Marię ad Præſepe Io. Patritij Rom. adiutus eleemoſynis diuinitus ædificauit,& Gregorius II.ab eadē ſtirpe oriūdus tēpla BB.Petri & Laurētij extra muros inſtaurauit:quę itidem reparauit Honorius III.cuius ibidem adhuc extat nomen & imago emblemate vermiculato: Ac Honorius IV. [f] Eccleſiā S. Pauli amplam atq. magnificam prope Albam ditionis SABELLORVM ędificauit.Quam modo eccleſiam auorum veſtigijs inſiſtens Iacobus Sabellus Cardinalis ampliſſimus ſummi Pont.Vicarius, ac ſummus Inquiſitor exornare, & amplificare, rebuſq. ad diuinum cultum neceſſariis inſtruere ſingulari munificentia non deſiſtit.

Bartholomęus Scaccat° de Viquiſao canonicus Turritan. ī fundatione ac conſecratione Eccleſię S. Gauini, quę fuit facta anno CCCCCXVII *die* IV. *Maij & impreſſa eſt Romæ anno* 1547.

e Hiſto. monaſtica, Lege etiam de D. Alexio Marul. lib. 1. c. 8. Fulgoſ. l. 4. cap. 4.

f Blondus in regione latina Italiæ illuſtratę.

Cuſtos eſt quoq. eorum hominum, qui miſericordiam diligunt, ſoletq. eos à multis periculis tutari; quemadmodum illa Dauidis precatio pro homine miſericorde oſtendit:Dominus conſeruet eum,& viuificet eum,& beatum faciat eum in terra,& non tradat eum in animam inimicorum eius. Itaque & Sapiens eius filius: Miſericordia, & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. Nec ſolum longæuam vitam conſeruatam ijs,qui pietatem coluerunt legimus; ſed etiam amiſſam reſtitutam. Quo enim merito Tabitha illa in actis Apoſtolorum digna habita eſt,quæ a B.Petro ad vitam reuocaretur,niſi quia plena erat operibus bonis,& eleemoſynis,quas faciebat? Statim enim ac ſanctus Apoſtolus eo loci venit, vbi pia mulier defuncta erat, circumſteterunt eum omnes viduæ flentes, & oſtendentes tunicas,& veſtes,quas faciebat illis:Quo aſpectu incitatus Petrus,Tabitham a morte ſuſcitauit:& cum vocaſſet ſanctos ac viduas, aſſignauit eam viuam. B.quoque Ioannes Druſianam vitæ reddidiſſe legitur,pauperum precibus permotus,quorum illa inopiam ſua ope ſuſtentauerat.Sed hęc exempla ad oſtendendam huius virtutis præſtantiam valent quidem multum,ceterum rara ſunt,& ſingularia.

Pſal. 40.
Prouer. 20.
Act. 9.

Illud vero frequens, ac vſitatum, & maxime optabile,quod cuſtodiente Deo illorum vitam,qui miſericordiæ operibus delectantur,fit,vt etſi in varia peccata pro humana fragilitate labantur,habeant tamen de illis ſpatium pænitendi. Petrus cognomento Telonarius, cuius diuitiæ cum auaritia certauerant, eleemoſynæ nihil vnquam homini dederat,niſi quod ſemel flagitanti importune pauperi panem vnū in os iratus contorſerat;hic tamen morbo graui correptus, ac iam parum de vita ſecurus,horas aliquot exanimis iacuit.Poſtquam autem eſt excitatus,narrauit ſibi interim viſum eſſe, ſe ante tribunal Dei in cęlo ſiſti, ab aliis accuſari,ab aliis defendi: cumq. ad merita eius expendenda libra in medio poſita eſſet, in altera lance vnicū panem illum appenſum,quem ira percitus proiecerat, in altera peccata,quæ commiſerat,& cum exęquatum vtrinq. pondus ſtaret,reuerti, ac pani ſuperaddere aliquid,quod præponderaret ſibi imperatum, ſi multorum criminum ingentes pęnas cuperet euitare.Itaq. cum valetudinem recuperaſſet, quæ auare congeſſerat, liberaliter effundendo,nihil ſibi reliqui fecit, niſi ſpem æternæ a Deo remunerationis. Quod ſi tātum per vim extorta valuit eleemoſyna, vt pænitentiæ tempus homini antea ab omni pietate alieno obtineret, quanti meriti miſericordiam benigne exhibitam apud Dominum futuram exiſtimamus?

Marulus li 1. cap. 2.

Act.10. Hæc est virtus, quæ Cornelio Centurioni, cuius eleemosynę ascenderãt in memoriam in conspectu Dei, etiam si gentili Angelum de cęlo, Petrum ab Ioppe vsque Cæsaream euocauit, dignum vtiq. reddens qui angelico colloquio perfrueretur, a principe Apostolorum & Ecclesię baptizaretur, a spiritu Sancto ante baptismum visibiliter illustraretur. Eadem de causa, & beatum Eustachium tradunt ex ethnico Christianum factum, ex Christiano martyrem, immortalitatis palmam assecutum. *Marulus li 1.cap.2. Et de eodē lib.5.cap.2* Cæsaris enim Traiani temporibus magister equitum super cornibus cerui, quē venando insecutus fuerat, CHRISTVM in cruce fulgentem videre meruit; qui dum ob ipsius erga egentes beneficia, ei se apparuisse diceret, & mysteria veritatis reseraret, credentem baptizari iussit, vt qui charitate miseros complexus erat, dignus fieret, qui inter vere beatos reciperetur. *Esa.58.* Quis in istis illud Esaię oraculum manifeste expletum non intelligit? Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua. In tenebris enim crassę gentilitatis versantes, misericordiã sunt assecuti, vt lux eis euangelicę veritatis ostenderetur.

Sed & iratum Deum iamq. ad vlciscēda scelera nostra paratũ, nihil magis placat quam misericordia. *Tob.12.* Hinc Raphael illa vtriq. Tobiæ de eleemosyna dicebat: Eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quę purgat peccata, & facit iuenire misericordiã, & vitam ęternam. *Prouer.21.* Salomon autem, Munus, inquit, absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam. Nabuchodonosor Rex gentilis erat, qui & humanæ fragilitatis oblitus omnipotenti Deo æquari volebat, cumq. hoc prædiceretur quod regno eiectus cum bestiis vitam esset acturus; eleemosynis tamen mutari quodammodo iudicium Dei, & iram placari posse intellexit, Daniele dicente: *Dan.4.* Peccata tua eleemosynis redime; & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsan ignoscet tibi Deus. Quæ verba cum in omnes peccatores conuenire possint, non de iis accipienda sunt, qui in flagitiis obstinate hęrent immersi, sed de iis qui emergere ac pęnitere volũt. Vana enim, & impudēs esset fiducia, si quis peccata nō deserens, ea se eleemosynis redempturum crederet, quasi vero porrecta stipe corrũpi posset Deus, vt scelera non puniat. *Rom.2.* In hoc hominum genus illud Apostoli conuenit, An ignoras, quod benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? Tu autem secundũ duritiam tuam, & cor impęnitens thesaurizas tibi iram.

Eccli.3. An non igitur vere a Salomone dictum est: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum? Verum id quidem quam quod verissimum; sed vt aqua extinguat ignem, non addas ligna, non flatu prunas excites oportet; alioquin crescente incendio, maioris flammæ calore consumptus humor euanescet. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, ait CHRISTVS; si pænitentiam egeritis, intelligēdum est. Nam idem alio loco: Nisi pænitentiam, inquit, egeritis, omnes similiter peribitis. Virtus est misericordia, & insignis quidem, atq. diuina. Quomodo autem virtutis nomine digna esset, si faueret vitiis? si licentiam peccandi prę staret? Porro quia virtus est, non delinquentes adiuuat; sed pænitentes emundat. *Iacob.1.* Quare D. Iacobus cum dixisset: Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hęc est, visitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorũ, adiunxit statim, ne mutila esset definitio, & immaculatum se custodire ab hoc sęculo. Condonantur ergo misericordię peccata, quia diuina bonitas mouetur ad gratiæ suæ subsidiũ eis largiendum, qui fuerint misericordes. Hęc gratia, & ne in posterum peccata committantur, adiuuat, & vt ab iis, quę iam commisimus expiemur. Hoc innuebat Apostolus, cum ad Hebręos scriberet, *Heb.13.* Beneficentię & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.

Quis igitur cum summam in se ad aliquod genus vitij procliuitatem agnoscat, vt illud fortiter superare possit, misericordiæ armis instrui, ac muniri recuset? *Eccli.29.* De hac enim scriptum est: Super scutum, & super lanceam aduersus inimicum tuum pro te pugnabit. Siue igitur libidinis facibus inflammaris, seu stimulis auaritiæ pungeris,

seu

ſeu feruore inuidiæ, aut ſuperbiæ vento agitaris, ſeu alterius peccati tentatione oppugnaris, virtutem hanc præclariſſimam amplectere, & cum propheta dicito. Miſericordia mea, & refugium meum. Frange eſurieti panem tuum, vt dicit Eſaias, quia tunc inuocabis, & dominus exaudiet, & clamabis, & dicet, ecce quia miſericors ſum dominus Deus tuus. Aderit Deus homini miſericordi adiutor, vt vim diabolicarum impugnationum vincere, vt in virtute proficere, vt in gratia maieſtatis ſuæ conſeruari poſſit, eleemoſyna enim viri, inquit ſapiens, quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis, quaſi pupillam conſeruabit. *Eccli. 29.*

Iam expiatis peccatis, dæmone ſuperato, diuina gratia in nobis aucta quid amplius à miſericordia deſiderare poſſumus, niſi vt Deo nos offerat pro innocentia ſuſcipiendos, pro iuſtitia remunerandos? Hoc ita futurum Regius Pſaltes teſtatur, *Pſal. 111.* dum de beato viro canit: Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria, vt intelligamus per charitatis beneficientiæq. opera aditum nobis ad cæleſtem beatitudinem aperiri. Quod idem aperte CHRISTVS in Euangelio prædixit, cum ſe ijs qui miſericordes fuerint dicturum in nouiſſimo die pollicetur. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, *Matth. 25.* quod vobis paratum eſt a conſtitutione mundi. Quam ſententiam quoniam infra in extremi iudicii explicatione ſumus vberius tractaturi, vbi locus poſcit, vt quæramus cur potiſſimum de miſericordiæ operibus rationem cæleſtis iudex eſt requiſiturus, finem huic narrationi imponemus, ſperâtes in Domino ſatis ex his, quę diximus, pium Chriſtianũ ad eximiã miſericordiæ virtutem complectendam in vniuerſum eſſe animatum.





DE PIIS MISERICORDIAE OPERIBVS EXHIBENDIS

Loci quidam communes.

Deut.15. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem.

Deut.15. Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatẽ deuenerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum: ſed aperies eam pauperi.

Ibidem. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra.

Tob.4. *Luc.14.* Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.

Tob.4. Quomodo potueris, ita eſto miſericors ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.

Ibidem. Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animã ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.

Tob.12. Bona eſt oratio cum ieiunio: & eleemoſyna magis quam theſauros auri recondere. Quoniam eleemoſyna a morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.

Tob.14. Et filijs veſtris mandate, vt faciant iuſtitias & eleemoſynas.

Pſal.111. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Prouerb.3. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebũtur horrea ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.

Prouer.21. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & nõ exaudietur.

Prouer.28. Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.

Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. *Eccli.3.*

Fili, eleemoſynam pauperis ne defraudes: oculos tuos ne tranſuertas a paupere: animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua: ab inope ne auertas oculos tuos. *Eccli.4.*

Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum anguſtianti. Rogationem contribulati ne abijcias, & non auertas faciem tuam ab egeno. *Ibidem.*

Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & reſponde illi in manſuetudine. *Ibidem.*

Omnis miſericordia facit locum vnicuique ſecundum meritum operũ ſuorum. *Eccli. 16.*

Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. *Eccli. 29.*

Eleemoſyna viri, quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit & poſtea reſurget & retribuet illis retributionem. *Ibidem.*

Date, & dabitur vobis: menſuram bonam & confertam, & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. *Luc. 6.*

Dorcas erat plena operibus bonis, & eleemoſynis. *Act. 9.*

Erat Cornelius eleemoſynam multam faciens. *Act. 10. & Marulus l. 1. cap. 2.*

Iſaacius Angelus Imp. Græcorum in templa ac monaſteria liberaliſſimus fuit, quæ ruinoſa ſuffulſit, vetuſtate deformata incruſtationibus & picturis illuſtrauit, & magna hebdomada, quæ Paſcha præcedit, viduas eleemoſynis, & pauperes virgines dote iuuabat. *Nicetas l. 3.*

Germanus Altiſiodorenſis Burgundiæ præfectus vna cum vxore religionis voto ſuſcepto, magiſtratum vltro depoſuit, & opes ſuas pauperibus erogauit. *Marulus l. 1. cap. 2.*

Gallicanus vir fortiſſimus Chriſtianus factus, dignitatis ſuæ abiecit inſignia; & quæ ſtipẽdiis ac victorijs parauerat, pauperibus elargitus eſt. Marul. lib. 1. cap. 2. & Sabell. lib 2. cap. 1.

Lupus Senonum Archiepiſcopus regia ſtirpe natus, opes ſuas pauperibus elargitur. Marulus lib. 1 cap. 1.

Epiphanius Salaminenſis Epiſcopus facultates ſuas pauperibus diſtribuit. Ad hunc vt communem œconomum pecuniæ pro pauperib. mittebantur, cumque aliquando ærarium eſſet exhauſtum, incerto auctore loculi auro pleni in eius ædes illati ſunt. Sozomenus lib. 8. cap. 14.

D. Cyprianus Afer a Cæcilio ad fidẽ vocatus, vt D. Hieronymus ait, omnes ſuas opes pauperibus donauit, idemque de eleemoſyna ſermonem elegantiſſimum inter ingenij ſui monumenta reliquit.

Clemens primus Pont. etiam in longinquas regiones indigentibus subsidia transmittebat, & neminem qui ad fidem venisset mendicare passus est. Marulus lib. 1. cap. 2. quo loco plurima alia habet exempla aliorum.

Homo Constantinopolitanus Christum, qui manet in omnem æternitatem, curatorem filij eligens, pauperibus, omnia sua bona erogauit.

Perinde filius egens relictus, à viro ditissimo filiam in matrimoniú accepit, quo factum, est vt magis quam antea abundaret. ex Prato spirituali, cap. 101.

Ethnicus homo quinquaginta aureos pauperibus erogans, trecentos ex pretioso lapide in piscis vtero reperto retulit: quo factus est Christianus. lege in Prato spirituali, cap. 185.

Moscus mercator Tyrius quinque auri libras pro eleemosyna elargitur, qua carcere ereptus est, & pristinæ restitutus dignitati Pratum spirituale, cap. 186.

Euagrius philosophus à Synesio Cyrene episcopo sacro lustratus lauacro, trecentos aureos offert pauperibus distribuendos, chirographo accepto ab episcopo, quo pollicebatur se in futuro sæculo restituturum. Res ita acta est. Moritur Euagrius, qui tertio post funus die ei visus est, fassusq. se debitum recepisse. Reseratus tumulus toto populo spectante, atq. in eius manibus chirographus hac subscriptione repertus. Ego Euagrius philosophus tibi Sãctissimo Domino Synesio episcopo salutem. Accepi debitum in his litteris manu tua, satisfactumq. mihi est, & nullum contra te habeo ius propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo ac Saluatori nostro. quod chirographum in Cyrenensi Ecclesia inter reliquias haberi in vasis sacris testatur Leontius Episcopus in Prato spirituali, cap. 195.

De operibus manu exercendis in pauperum subsidium, lege Marulum, lib. 3. cap. 9.

De Spiridonis eleemosynis, lege Euseb. lib. 10. cap. 5. & Socratem in tripartita, lib. 1. cap. 10.

Ephræm apud Edessenos 300. mẽsas famis tempore parauit: Nicephorus, lib. 9. cap 16. immo & agri concessi sunt a Valente Basilio ad hoc munus exercendum. Niceph. lib. 11. cap. 18.

Legendæ sunt orationes tres D. Gregorij Nisseni magni Basilij fratris, de pauperibus amandis, & benignitate complectendis: quarum altera tota posita est in interpretatione eorũ verborum Euangelij, quatenus vni ex his fecistis, mihi fecistis.

In hæc ipsa verba D. Chrysost. in cap. 25. Matthæi homilias scripsit, quas

habet tomo 2. ſuorum operum: qui etiam legendus eſt paſſim, ſed præcipue Lucæ 16. vbi habet ea de re quatuor homilias, & in tomo 5. habet ſermones duos de eleemoſyna, & alterum de miſericordia, & tomo 4. habet plurimos alios ſermones eadem de re.

Iſidorus de diuitiis & eleemoſyna elegantiſſime loquitur, lib. 3. de ſummo bono, cap. 64.


D. Auguſtinus ſæpe, ſed videndus in tract 51. in Ioan. vbi explicat illud, Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. & eiuſdem temporibus D. Paulinus, qui re & verbo eleemoſynam faciendam docuit, legendus eſt in epiſt. de gazophilacio.

Ambroſius etiam ſcribens de D. Laurentio lib. 1. offic. cap. 1. & epiſt. 36. lib. 6. ad Sabinum, laudat D. Paulinum ob eleemoſynas erogatas: quod idem facit D. Auguſtinus lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 10. & D. Hieronymus in epiſt. ad Paulinum de inſtitutione Mona. tomo 1. & præclarum eius factum in redemptione captiuorum D. Gregorius Pont. lib. 3. dial. cap. 1. pulcherrime deſcripſit.




TABVLA I.

DE DISTINCTIONE VII. operum Misericordiæ tum corporalium tum spiritualium ex D. Tho. 2. 2. q. 32. art. 2.



TABVLA II.

DE DISTINCTIONE OPERVM *Misericordiæ, ex Alense p.4.q.29.m.2.*




TABVLA III.


DE DISTINCTIONE OPERVM *Misericordiæ, ex eodem Alense ibidem expreßa.*


Misericordia est subleuatio miserię quę est.


- *Corporis-et consideratur ratione facultatis.*
  - *I Vegetatricis, quę indiget duplici alimento.*
    - *Cibi-vnde est pascere esurientes.*
    - *Potus-vnde est dare potũ sitientibus.*
  - *II Sensitiuæ, sicq. indiget homo tegentibus ac protegentibus quę sunt.*
    - *Immediata, vt vestes-vnde est vestire nudos.*
    - *Mediata*
      - *Viuentium, vt domus ad arcendas iniurias cęli-vnde est hospitium peregrinorum.*
      - *Mortuorum quorum sunt sepulchra-vnde est sepultura.*
  - *III Rationalis & tũc secundum naturam primo institutam habet.*
    - *Sanitatem in se & in suis partibus, cuius defectus vocatur infirmitas-vnde est ægros inuisere.*
    - *Libertatem ratione alterius, cui contraria captiuitas est, quam iuuat redẽptio captiuorum.*
- *Animi-cuius miseria oritur ex facultate.*
  - *Apprehensiua-in qua consideratur ignoratio eorũ quę sunt*
    - *In nostra potestate-vnde extitit consiliũ.*
    - *Quibusdam vtilia-vnde nata est doctrina eorum pręsertim, quæ necessaria sunt ad salutem.*
  - *Motiua quæ est circa malum.*
    - *Culpę cui medemur*
      - *Humanitus cũ quis peccauit in*
        - *Nos-vnde extitit remissio iniuriarũ.*
        - *Alios-vnde correptio.*
      - *Diuinitus-vnde oratio.*
    - *Pœnę, cui subuenimus.*
      - *Verbo-vnde consolatio.*
      - *Facto-vnde ferre aliorum defectus.*






VENITE·BENEDICTI
PATRIS·MEI
POSSIDETE·PARATV̄
VOBIS·REGNVM
A
CONSTITVTIONE
MVNDI
MATTHAEI·CAPITE
XXV·




DISCEDITE·AME
MALEDICTI·IN
IGNEM·AETERNVM
QVI
PARATVS·EST
DIABOLO·ET
ANGELIS·EIVS
MATTHAEI·CAPITE
XXV·




PASCE
ESVRIENTES






REDIME
CAPTIVOS



DA POTVM
SITIENTIBVS




VISITA
INFIRMOS



SEPELI
MORTVOS





COOPERI
NVDOS

COLLIGE
HOSPITES

DE EXTREMO IVDICIO ENARRATIO.



VONIAM de operibus misericordiæ CHRISTVS requisiturus est in extremo iudicio rationem, operęprecium me facturum arbitror, si antequam eorum explicationem sigillatim aggredior, ex sacra scriptura, ac sanctorum Patrũ monumentis eius diei quasi imaginem quandam ante oculos proponam: deinde vero cur eo tempore potissimum de iis postulaturus sit rationes aliquot in medium afferam. Præconcepta enim fide, quæ Christianorum animis perpetuo debet inhærere, ac salutari incusso terrore eius tam tremendi iudicij, fiet, vt accendamur magis ad ea opera, quæ nos tunc temporis egisse maxime optaremus.

In primis igitur de iudicio futuro extat testimonium Enoch viri sanctissimi, qui antiquissimis illis tẽporibus e terris ad beatas Paradisi sedes raptus est. Ecce, inquit, venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij. Et Esaias Deũ quasi virum armatũ expressit. Indutus est iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius: indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli. sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis. Quod ipsum indicauit Salomon cum diceret. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiã, & accipiet pro galea iudicium certum. sumet scutum inexpugnabile, æquitatem. Acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, & tamquam a bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insiliẽt. Et a petrosa ira plenæ mittentur grãdines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos: & ad eremum perducent omnem terram iniquitatis illorum, & malignitas euertet sedes potentium. Sunt huius generis plane in scripturis sacris infinita testimonia, quæ si intentis animis aliquando contemplaremur, ea subiret salutaris cogitatio, operandum esse bonum dum tẽpus habemus.

Epist. catholi. Iudæ.

Esa. 59.

Sap. 5.

Hanc cogitationem habuisse legimus Patres sanctissimos Ecclesię nostrę, quibus cum tamen nunquam desisterent a piis operibus semper in auribus insonare videbatur ea tuba: Surgite mortui, venite ad iudicium. Sed inter omnes satis fuerit mihi referre quæ Isidorus Pelusiota eruditissimus Pater ante annos prope mille & ducentos de iudicio futuro græce scribebat: In altero, inquit sæculo pronunciabitur a Iudice incorrupto in illo horribili tribunali sententia, cum clamabunt esurientes. Nos quidem neq. cibos ad necessitatem naturæ accepimus ab his, qui in deliciis, & opum copia maxima, omnia in splendidos ac sumptuosos vsus consumpserunt. Nudi dicent duriores ii ac difficiliores ipsa hyeme fuerunt: ægroti asserent eosdẽ ægri-

In epist. ad Palladium Diaconum.

tudine ipsa grauiores fuisse. Tum ipsi pupilli nullum patrociniũ se retulisse: viduæ cõsolationem nullam accepisse: carceribus detenti nec lacrymam quidem in eorũ oculis se vidisse obiicient: calamitosi non porrectam ab ijs fuisse manum subleuationis, & vt paucis multa complectar, cum omnes clamauerint, quid existimas factu rum esse iudicem incorruptum? An non grauiter puniet quem nec honor fecit meliorem? Omnibus sane liquet ita fore. Si quis vero nõ credit, pronunciationem sententiæ in Euangelio legere potest: Diuidet, inquit, eum, & partem eius cum infidelibus ponet. Hæc ille.

Ac quoniam nos vir sanctissimus admonet, proponendum est id quod Euangelistę de extremo die, quo CHRISTVS de viuis, ac mortuis iudicaturus est, exposuerũt.
Marc. 13. Scribunt igitur cum ille in maiestate sua venerit, futurum, vt omnes angeli circa
Lucæ 17. maiestatis suæ solium astent: tum vero secreturum gentes omnes, quæ in conspectũ
Ioan. 5. ipsius venturæ sunt, non secus ac pastor oues ab hœdis secernere cõsueuit; ita tamẽ
Matth. 24. vt oues ad dexteram, hœdi ad sinistram collocẽtur. Deinde dicet ijs, qui ad dexterã
sed prçcipue stabunt. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis ab orbe condito
cap. 25. paratum est. Cuius rei hanc causam afferet, quod esurienti sibi cibum, sitiẽti potum præbuerant: peregrinum domi receperant: nudo vestes dederant: ægrotum inuiserent, ad se in carcere constitutum venerint. Ijs autem qui ad sinistram erunt impera bit vt procul abse discedant, atq. in ignem æternum abeant, qui supplicij causa ipsis malisq. angelis est constitutus. Idq. paribus de causis, quod esuriẽtem, ac sitientem solari neglexerint, peregrino repulsam dederint: nudum non operuerint: ægrotũ & in carcerem coniectum non visitauerint. Quam orationem cum ille habuerit, malos ad supplicium æternum amandabit, bonos vero in vitam æternam admittet.

Qua specie ac forma diuini iudicii CHRISTO teste ac Doctore proposita, alterum caput explicemus oportet, quod hoc consequebatur: Quamobrem CHRISTVS in eo die extremi iudicii maxime de operibus his misericordiæ rationem quęsiturus sit? Quæ quidem dubitatio a nobis de operibus misericordiæ disserentibus nullo modo debuit silentio prętereiri. Ei vero multis modis responderi potest.

Nam primum cum duo sint CHRISTI in mundum aduentus, primus in humilitate ad eum saluandum, secundus in maiestate ad iudicandum. qui in priori aduẽtu eũ non cognouerũt, merito in secundo ab eodem audire merebuntur, nescio vos Venit autem CHRISTVS ad nos in carne propria, quam assumpsit factus homo; sed & idem in pauperibus nobiscum semper adest. Scriptum est enim: Quodcunq. vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Dicet igitur in iudicio, cum ego venissem ad vos in humilitate & paupertate, & esurirem, cibum denegastis. Nunc a me in gloria & maiestate constituto misericordiam imploratis. Certe si gratiam primi aduentus nõ recepistis, nec gratia secundi aduentus digni estis: Ite maledicti in ignem æternum. Tunc ego iudicandus eram a vobis: nunc ego iudico vos. Tunc contempsistis me in humilitate positum: nũc in potestate cognoscite. Id illud est, quod Pilato coram Iudæis cum accusaretur dixit: Amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cęli.

Secundo Dici potest, quod ad maiorem terrorẽ & seueritatem illius iudicii ostẽdendam fit mentio tantum de omissis operibus misericordię. Nam si de prętermissis rationem CHRISTVS est exacturus, quãto magis de perperam actis? Si damnabit eum qui nõ dederit eleemosynam de substantia sua, quanto magis arguet eum qui
Luc. 3. aliena rapuerit? Huc illa spectant. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Si qui non facit fructum bonum est in ignem mittendus, quid fiet de eo, qui malum fructum egerit? Atq. vt cõstaret omnibus qui nã essent hi fructus boni, statim subdit Euãgelium de operibus misericordię. Cũ enim interrogaretur Ioannes. Quid faciemus? puta ne in ignem mittamur? Qui habet, inquit duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. Huc etiã per-

tinet

tinet parabola de seruo pigro, qui eo tantum damnatus est, quia talentum abscondit, nec fuerat operatus.

Tertio ideo fit commemoratio operum misericordiæ, quia iudex in ferenda sententia dum eiusmodi operũ omissionem obijcit, par pari reddere videtur. Qui enim misericordiam alteri non exhibuit, nec ipse quidem misericordia dignus est: præsertim eo tempore, quo omnes maxime misericordia indigebimus. Qui autem eam postulare poterit a Domino, qui eandem cõseruis ac fratribus suis denegauit? Ideo apud Iacobum habetur: Iudicium sine misericordia his qui non fecerint misericordiam. Et CHRISTVS: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur. Ad quod intelligendum illa a CHRISTO in medium adducta est parabola de seruo nequam. Subducturus rationes rex ille cum seruis suis, vnum inter ceteros reperisse dicitur, qui debebat illi decem millia talenta; ac cum vnde satisfaceret non haberet, mandauit sui ac totius familiæ pretio satisfieri. Quibus ille auditis ad reges pedes prouolutus, ita eum obsecrabat, se si patientiam haberet, omnia redditurum. Misertus Dominus serui illius & eum & debitum ei omne dimisit: qui paulo post egressus, cum in conseruum incidisset, qui ei denarios centum debebat, ita hominẽ aggressus est, vt faucibus cõpressis exclamaret vt redderet quod debebat. Ille uero ad eius sese pedes abijciens, sic orabat conseruum suum; Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. At conseruus beneficii paulo ante accepti immemor, hominem in carcerem conijcit quoad plane satisfaceret. quod cum cõserui ceteri obseruassent, re tota ad Dominum delata, seruus ille nequam, cui omne debitum dimissum fuerat in ergastulũ coniectus est, donec redderet vniuersum debitum. Sic sane CHRISTVS facturus est, vt qui misericordiam non exercuerint, nec eandem habere mereantur.

Iac.2.
Matth.5.
Matth. 18.

Quarto dicerem ideo horum operum præcipue CHRISTVM in Euangelio meminisse, quod visibilia magis & apparentia, & ad vsum vitæ communis pertinentia videantur. Namq. exactionem ceterorum operum futuram quis dubitet, cum dicat Propheta: Scrutabor Hierusalem in lucerna? & alibi: Iudicio contẽdam vobiscum, & cum filiis vestris disceptabo. Et cuncta quæ fiunt adducet Dominus in iudicium pro omni errato. & illud: Ecce Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ. & alibi: Ego opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus. Non igitur deerit ceterorum iudicium & quidem acre, cum iudicis sit singulas causæ rationes perpendere. Sed quoniam hęc oculis patent, & nemo non videt, ideo ea proponit expendenda, vt ne rudiores quidem excusari possint, & qui solum quæ ante pedes sunt, spectare solent.

Soph.1.
Ioel.3.

Quinto sunt quædam quæ a nobis facta CHRISTVS sibi ipsi imputat, eaq. ita accipit quasi sibimet fierent: cuius generis sunt hęc opera misericordię, de quibus ait: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Alia vero nõ item, vt si quis se voluptatum illecebris dederit, vel in diuinum nomen sit imprecatus, & alia generis eiusdem, vel etiam grauiora commiserit. Fit igitur mentio in iudicio de his potissimum operibus, quę CHRISTVS in se ipso accipit, cum ad ostendendam ingratitudinem, & demeritum reproborum, tum ad gaudium electorũ. In reprobos nimirum ita inuehitur, quia si illi CHRISTVM non sunt reueriti, ipsumq. iudicem offendere quæ erit tunc temporis ipsorum perturbatio? Contra vero CHRISTVS electis dicet: Venite benedicti, accipite regnum eiusmodi, cuius non erit finis. Quibus gaudiis exultabunt tunc sancti in conspectu omnium angelorum, cum CHRISTVS ita eorũ opus extollet commendatione sua, quasi ipse in pauperum forma illud ipsum acceperit.

Matth.25.


Sexto in hunc modũ hic locus explicari potest, vt illa operum adnumeratio non sit tantum operum inquisitio, sed exprobratio quædam in reprobos, & collaudatio quæ de electis habeatur, quasi CHRISTVS diceret: vos me contempsistis in meis membris, ego nescio vos. Ille petat misericordiam, qui eam fecerit, non qui videns pau-

Matth. 25. perem clauſerit viſcera ſua. Ego eſuriui & non dediſtis mihi manducare. Ego qui panem de cælo vobis dedi quaſi pluuiam; qui campos irrigo imbribus, ac naturam vniuerſam & fabricatus ſum & conſeruo. Vos autem rependere mihi quoniam poteratis grati animi ſignificationem, renuiſtis: Ite in æterna ſupplicia.

Septimo æquiſſimum videtur, vt principes per leges quas ſtatuerũt iudicent, ita CHRISTVS cum legem quæ in charitate fundata eſt in mundum attuliſſet, per eandẽ
Rom. 13. iudicaret, ſic Paulus: Qui diligit proximum, vniuerſam legem impleuit. Cum igitur hæc ſint opera charitatis, de his merito ad tribunal iudicij ſui rationem exiget. Quod ſi aliquis dicat. Non ne ſatis erat requirere, vtrum charitatem habuerimus? Huic petitioni facile eſt reſpõſum: quoniam ſi de ſola charitate meminiſſet & non de operibus, plurimi fuiſſent decepti, qui ſe in charitate eſſe putaſſent. licet nõ exercerent opera miſericordiæ. Admonet igitur CHRISTVS nos ſignum charitatis habituros ſi opera adhibuerimus. Scriptum eſt etiam: Ex operibus eorum cognoſcetis
Matth. 7. eos; &, vt inquit Gregorius, Argumentum dilectionis exhibitio eſt operis.

Octauo & vltimo, ſolius miſericordiæ CHRISTVS meminit in extremo iudicio, vt hunc etiam quorundam ſenſum afferamus, quia cum nemo aſcendat in cælũ niſi qui deſcendit de cælo, charitas CHRISTVM ad nos de cælo deduxit, eadem igitur nos in cęlum reducere debet. Nam quare de cælo Dei filius deſcendit, niſi vt animã noſtram eſurientem cibaret corporis ſui ſacramento, eamdemq. ſitientem cæleſtis doctrinæ fluentis expleret? Venit ad nos, vt nudam animam nuptiali gratiæ veſte
Rom. 13. indueret, de qua Paulus: Induimini Dominum Ieſum CHRISTVM. Venit vt vinctos e carcere deduceret, & e poteſtate tenebrarũ. Venit nos hoſpes inuiſens, vt qui eum non receperunt exciperet in gloriam ſuam. Venit vt morbis grauiſſimis affectos ſa
Rom. 6. naret. Venit tandem, vt ſibi conſepeliremur in baptiſmo, vt ait Apoſtolus: Quę ſi fa
Coloſſ. 2. cturus de cælo ad terram deſcendit, eadem agat oportet qui e terris ad cælum cupit
Eſa. 49. aſcendere. Serendum hic eſt enim, quod illic metamus. Illic, vt ait Eſaias, Non eſurient nec ſitient amplius; lætabimur enim cum apparuerit gloria eius. Illic quod ſeminatum eſt in ignobilitate, induet gloriã. Illic finis erit & peregrinationis Baruch
Baruch 3. dicente: O Iſrael, quam magna eſt domus Dei, & ingẽs locus habitationis eius. Illic ſoluet filia Sion iugum & vincula colli ſui. Illic qui ſanat omnes infirmitates no-
Apocal. 21 ſtras abſterget omnem lachrymam ab oculis eorum. Illic deniq. vt ait Eſaias, Præci-
Eſa. 25. pitabit Deus mortem in ſempiternum, cuius excuſſo timore regnabitur in ſæcula ſęculorum.

Quæ cum ita ſint, Chriſtiani hominis erit, quæ fide conceperit operibus exequi, vt quæ ille pręmia pollicitus eſt, cõſequatur. Fides enim, vt inquit D. Iacobus, ſine operibus mortua eſt. De quibus, propoſitis prius quibuſdam de extremo Iudicio ſententiis, explicationes ſingulas ſubijciemus, vt ex ipſis viri pij ac religioſi partim figurarum deſcriptione, partim ſententiarum copia & grauitate, tum fructum, tum voluptatem capiant.



SEN-



SENTENTIAE ALIQVOT DE EXTREMO IVDICIO

Deprompta ex sacra scriptura.

Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum: apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. *Iob.20.*

Cum vix paruam stillam sermonib. eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? *Iob.26.*

Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus; & cum quæsierit, quid respondebo illi? *Iob 31.*

Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. *Psal.74.*

Viri mali non cogitant iudicium. *Prouer.28.*

Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum sit. *Eccles. 12.*

Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram? *Esa.10.*

Vlulate, quia prope est dies Domini, quia vastitas à Domino veniet: propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. *Esa.13.*

Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque. *ibidem.*

Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ. *Esa.26.*

Sicut enim in monte diuisionum stabit Dominus, sic in valle, quæ est in Gabaon irascetur. *Esa.28.*

Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio vt congregem cũ omnibus gentibus & linguis: & venient & videbunt gloriam meam. *Esa.66.*

Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. *Ezech.7.*

Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorũ, quibus polluti estis in eis, & displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris quas fecistis. *Ezech. 20.*

Dan.7. Iudicium sedit, & libri aperti sunt.

Ioel 2. Quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.

Ioel 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo.

Ibidem. Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.

Amos 5. & Hier. 30. Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, & non lux.

Micheę 6. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israel diiudicabitur.

Sopho. 1. Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus.

Ibidem. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis.

Sopho. 3. Mane mane iudicium suum dabit in lucem, & non abscondetur--Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die Resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.

Malac. 3. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum--Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij: & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me.

Malach. 4. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi. & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens.

Ibidem. Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam ante quam veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiarum ad Patres eorum, ne forte veniam & percutiam terram anathemate.

Matth. 3. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Matth. 13. Dan. 12. Sicut ergo colligunt zizania & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti ful

gebunt ſicut ſol in regno patris eorum.

Et tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maieſtate, & mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius a quatuor ventis, a ſummis cælorum vſq. ad terminos eorum. *Matth.24.*

Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cũ eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos abinuicem ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. & ſtatuet oues quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris. *Matth. 25.*

Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. *Rom.14.*

Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq. propria corporis prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum. *2. Corin. 5.*

Et reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes & omnis ſeruus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis & in petris montium & dicent montibus & petris cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronũ, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare? *Apoc.6.*

Et iratæ ſunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari & reddere mercedem ſeruis tuis prophetis & ſanctis & timentibus nomen tuum puſillis & magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt terram. *Apoc.11.*

Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni. *Apoc.20.*

Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, & reddere vnicuiq. ſecundũ opera ſua. venio cito. Amen. veni Domine Ieſu. *Apoc. 22.*




ESVRIENTES PASCERE
I
A B
C D
E
F
G
QVI·PRONVS·EST AD·MISERICORDIĀ BENEDICETVR DE PANIBVS·ENIM SVIS DEDIT PAVPERI
PROVERB: CAPITE XXII·
HONORA DOMINVM·DE TVA SVBSTANTIA ET·DE PRIMITIIS OMNIV̄·FRVGVM TVARVM
PROVERBIO: CAPITE III·
H
I
CVM·FACIS·CONVIVIVM·VOCA·PAVPERES DEBILES·CLAVDOS·ET·COECOS·ET BEATVS·ERIS·LVCAE CAPITE·XIV·



AD PRIMAM ICONEM NOTAE.



A Dixit Eliæ angelus; Surge, comede, grandis enim tibi restat via. lib 3. Regum cap. 19.

B Abijt vidua Sareptana, & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipse & illa, & domus eius. & ex illa die hydria farinæ non defecit: & Lecythus olei non est imminutus: & reuersa est anima pueri. lib. 3. Regum cap 17.

C Quantum est hoc, vt apponam coram centum viris? lib. 4. Reg. c. 4.

D Erat autem fames in terra -- Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit, da populo vt comedat -- Hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit. lib. 4. Regum cap. 4.

E Omnes qui in insula Mytilenæ infirmitates habebāt, accedebant, & curabantur, -- & nauigantibus imposuerunt, quæ necessaria erant. Actorum cap. 28.

F Cum accumberet Iesus in domo Leui, multi publicani, & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Marci cap. 2.

G Misereor turbę, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Matthæi cap. 15.

H Cum interficeret Iezabel prophetas Domini, abscondit Abdias de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane & aqua lib. 3. Regum cap. 18.

I Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem -- & ait Dauid ad Achimelech -- vel quinque panes da mihi, aut quicquid inueneris -- Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. lib. 1. Regum cap. 21.



ESVRIENTIBVS CIBVM PRAEBENDVM ESSE.

EXPLICATIO I.



Onstat, homini primum edito in lucem, maxime necessarium esse, vt vitam à parentibus, & à natura acceptam conuenienti pabulo, & alimento sustentet. Quo qui destituuntur languenti corpore, penitusque viribus deficientibus in tantam labuntur miseriam, vt nisi subueniatur, paulatim durissimo genere mortis animam agant. Idcircò benignus humani generis parens Christus, cum in nouissimo die, se de ijs nos operibus iudicaturum ostenderet, quæ misericordiæ appellantur, ab hoc initium fecit, quo suadet nobis vt esu-

Matth. 25. rientibus opem feramus. Cum venerit, inquit, filius hominis in maiestate sua dicet his, qui à dextris erunt; venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Contra verò dicet his, qui à sinistris eius erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Ab

Lucæ 3. hoc opere prædicationem suam exorsus est præcursor Domini Ioannes. Nam cum dixisset; omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur; Interrogantibus turbis, quos fructus facere oporteret, ne in ignem mitterentur; Respondens Ioannes dicebat illis; Qui habet tunicam, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. Escarum igitur cum proximis esurientibus communicatio nos ab æternis flammis liberat. Quod quidem clarissime cælestis magister nobis aliquando ante oculos ponebat celebratissimam illam de homine diuite historiam in medium afferens.

Luc. 16. Narrabat hominem quendam indui purpura, & quotidie splendide epulari solitum, ad cuius fores Lazarus mendicus vlceribus plenus iacebat, cupiens vel micis saturari, quæ de eius mensa caderent: quas cum nemo illi daret; canes miserti eius vulnera lambebant. Moritur Lazarus, & ab angelis in Abrahami sinum deportatur. Diues etiam moritur, & in inferno, vt euangelicis verbis vtar, sepelitur, vbi inter atrocissima tormenta cum oculos sustulisset, Abrahamum conspexit, & cum eo Lazarum feliciter regnãtem, atque inde proclamauit: Pater Abraham miserere mei. Mitte, obsecro, Lazarum, qui extremum digiti sui in aquam intingat, & linguã hanc penitus arentem recreet. Cui Abraham, fili recordare quia recepisti bona in vita tua, vt & Lazarus mala; ideo hic in quiete, tu in tormentis versaris. Vides quid eiusmodi exemplo nos docere voluerit Christus? Qui fame premebatur, nihil est quod in illa bonis omnibus gloria affluente desideret. At qui abũdabat, quoniam esurienti opem ferre neglexerat, acerbissimis cruciatibus torquetur.

Audiant ista diuites, inquit Augustinus, qui nolunt esse misericordes. Audiant irrogari sibi supplicia, qui nolunt erogare subsidia. Audiant pauperem refrigerãtem,

Audiant diuitem pœnis grauioribus æstuãtem. Pensentur ergo pro diuitijs pœnæ; refrigerium pro paupertate; pro purpura flamma; refectio pro nuditate; vt salua sit æquitas stateræ, & non mentiatur modus illius mensuræ. In qua, inquit, mensura mensi fueritis, remetietur vobis; ideo negatur misericordia diuiti, quia ipse dum viueret, noluit misereri. Ideo negans diues non exauditur in tormentis, quia negantem pauperem non exaudiuit in terris.

Hæc cum animo diligentius reputarent viri non pauci pietate illustres, nil mirũ si ita accensi sunt, vt non modo ad se aduentantes pauperes, & inædia pallentes exhibito cibo recrearent; sed vltro etiam perquirerent, & inuitarent. Inter quos non mediocriter nos commouere poterit historia, quæ de ciue Antiocheno narratur: Hic nullum diem prætermittebat, quo pauperes vndique conquisitos ad suam mensam non aduocaret. Quadam verò die ciuitatem vniuersam lustrasse dicitur, & qui secum pranderet reperisse neminem. Mœnia ipsa egreditur ieiunus, nocte iam aduentante; virum insignem candenti amictu inter duos alios stantem conspicatus sic alloquitur; amabo te, quia peregrinus es, cum socijs domum meam accede, vbi sumpto cibo quiescas: Qui nihil ad dicta respondens; Nequaquam, inquit, efficere poteris, ne Vrbs hæc ruat. Vix hæc dixerat, cum in alteram eius partem vir ille alba veste indutus excusso sudariolo, statim tota illa pars concidit. Perhorruit ciuis; ille reliquum vrbis euersurus iam signum extulerat, cum duorum comitum, quos diximus, precibus indulgens, destitit, atque ita Antiochenum hominem iacentem ac semimortuum erigens est consolatus. Abi domum tuam; filij tui cum vxore salui sunt; defendit enim te & assidua oratio, & eleemosynæ, quas in pauperes quotidie exerces. Quibus dictis & ipse & socij euanuerunt. At vir pius, & timens Deum ad suos reuersus patriæ vastitatem non sine lachrymis admiratus, quod cum suis dextera Domini quasi alter Lot in medio impiorum saluus relictus esset, Deo gratias quam maximas egit.

Gregorius Turonen. libr. 10. hist. cap. 23.

Gen. cap. 19

Valet igitur qui pauperi donatur cibus, non ad inferorum tantum vitanda supplicia; sed ad singularem quoq; Dei gratiam, & beneuolentiam promerendam. Quem illa suauissima Isaiæ verba ad hoc genus pietatis non maximoperè commoueant? cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua. Quam lucem intelligit, nisi lucem diuinæ gratiæ? de qua Ioannes aiebat: Qui diligit fratrem suum, in lumine manet: qui odit fratrem suum in tenebris est. Idem non ita multo post Isaias. Frange, inquit, esurienti panem tuum; Inuocabis, & Dominus exaudiet. O præclarum sanctæ misericordiæ fructum, quæ alteri donans, longe plus accipit. Nam quid huic tanto bono comparari potest, quod efficit vt preces nostræ à Deo exaudiantur? Ideo D. Augustinus; Reminiscere, inquit, non solum quid des, sed quid accipias. Panis, quem das, terra est, de terra in terram, vt fulciatur terra, vt reficiatur terra. Poterit itaque pauper dicere: vide ne plus tibi præstem accipiendo, quàm tu dando. Si enim non esset, qui à te acciperet, non erogares terram, & emeres cælum: contemne me si nihil petis ab eo, qui fecit me & te. Si enim petiturus es, quia me exaudisti, tibi præstas vt exaudiaris. Age illi gratias, qui rem tam pretiosam vili pretio te fecit emere: das quod in tempore perit, accipis quod manet in æternum, vnde sis socius angelorum, vnde nunquam sitim, famemque patiaris. Hoc est quod verissimè Ioannes Chrysostomus dicit, non fecisse Deũ diuites propter vtilitatem pauperum, quos & sine diuitibus poterat sustentare; sed pauperes propter vtilitatem diuitum factos esse, quoniam alioqui infructuosi, & steriles erant futuri, nisi pauperes habuissent.

Isaię cap. 58

1. Ioan c. 2.

Isa. c. 58.

In opere imperfecto in Matthæum, homil. 46.

Quamquam quoniam nullus est ita abundans diuitijs, quin & possit amittere, atque in paupertatem incidere. hæc quoque nos cogitatio erga esurientem pios, ac misericordes reddere debet, quòd temporum conuersione accidere potest, vt nos quoque egeamus; atque adeo etiam ostiatim stipem postulare cogamur. Quam

obrem, vt idem Chrysostomus inquit, Si Dei præcepta non consideras, saltem miserere conditionis tuæ, & time, ne & ipse talis efficiaris. Mutatur sors, incerti sunt cogitationum exitus. Aegrè conscenditur ad humanæ felicitatis fastigium, grauiter & repentè inde descenditur. Quis vnquam cogitasset futurum, vt Belisarius Iustiniani Imperatoris gratia florens, in regali opum affluentia, in summa dignitate, in maximis victoriis, ac triumphis, tugurio cõtentus, quemadmodum plures tradiderunt, transeuntibus proclamaret; Date obolum pauperi Belisario? Nimirum fames miseriarum prima est, eademque atrocissima, quæ homines, qui se plerumque putant fortunatissimos, ad infima, & indigna quæque necessitate compellat: cuius vis tanta est, vt bestiæ ipsæ ex antris & nemoribus extrusæ, in quibus natæ, & altæ fuerant, cum vitæ periculo ad vrbes sæpius, cibi quærendi gratia confugisse dicantur, eædemque fame dominante ad eum locum, vbi vel semel pastæ sint, reuertantur.

Crinitus l. 9. de honesta disciplina cap. 6. idem confirmant Ponta. et Volat. ex græco epigrammate.

Est igitur hoc opus misericordiæ eius generis, quod nos natura edocuit: quæ parens optima, hominibus in tali miseria cõstitutis, non modo ipsos homines opitulari voluit; sed feras etiam ratione carentes ad eis succurrendum incitare est solita. Scribit Procopius lib. 2. de bello Gothorum, sibi eiusmodi spectaculum oblatum esse. Cum in agrum Picenum Romanorum exercitus Ioanne duce venisset, ingens, vti par erat, eius regionis homines inuaserat terror. Feminæ itaque cum de repentè partim fugam arriperent, partim comprehensæ indecorè, ac turpiter agerentur, vna ex illis, edito partu, eoque pannis, vt commodum erat, inuoluto, & humi relicto, nusquam comparuit, siue inde in remotas partes abiens, siue alio vtcunque casu sublata; Infantem in agro destitutum vagientem capella aduertit, quæ recens fœtum ediderat, accessit commiserata, & vbera illi præbuit exugenda, diligentique cura per longum tempus seruauit, ne canis, aut alia quævis bellua nocere posset.

Id habet in medio pene libri, nõ dissimile de Romulo & Remo initio historiarũ suarum Liui. et de Cyro Iustinus initio libr. 1.

Tantum igitur potuit apud animal rationis expers infantis miseria, & esuries; cũ tamen homines in suum ipsi genus plerunque ita sæuiant, vt feras ipsas crudelitate superare videantur. Qui latissima prædia possident, multumque messis annuatim colligunt, annonæ caritatem votis etiam implorant; cæli, agrorumque beneficio vbertatem concessam horreis refertis suppriment: marcescere frumenta potius, atque in flumina deijci patiuntur, quàm vt ea venalia proponere velint. Ita infelix populus fame enecatur, ipsi vero, qui horum malorum causa sunt, æternis apud inferos supplicijs destinantur. Contra quos merito D. Iacobus insurgit illis verbis. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit: & manducabit carnes vestras sicut ignis; thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.

Iacobi epist. sua catholica cap. 5.

Hoc illi diuiti euenit, de quo Saluator apud Lucam inquit, cum ei vberes fructus ager reddidisset, cogitasse secum; Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus messis; destruam inquit horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea: & dicam animæ meæ. Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, comede, bibe, epulare. Hæc ille temere cogitabat; Sed ridet Deus consilia hominum. Dixit enim illi; stulte hac nocte repetent à te animam tuam; Quæ autem parasti, cuius erunt? sic est, inquit Christus, qui sibi thesaurizat, & non est diues in Deum. Quantò melius igitur est thesaurizare sibi thesauros in cælo, vt idem Christus alio loco adhortatur, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi pro bonis caducis æterna, pro terrenis cælestia, pro humanis diuina reddentur?

Lucæ cap. 12.

Matthæi c. 6.

Enimuero pater misericordiarum Deus his, qui egentium miserentur, liberalitatem suam in hac vita etiam nonnunquam impertit, largiens agris ipsorum vbertatem, eos à grandine, & pruina, & aduersis cæli tempestatibus defendendo. Ita fit, vt

cum frumentum, & escas pauperibus diuidendo opes suas minuere videantur, augeant eò magis, ac ditiores semper efficiantur. Exemplo docemur hoc Sareptanæ viduæ, quæ cum prophetæ Eliæ subcinericium panem ex pugillo farinæ, quem hydria capiebat, fecisset, ita exiguum illud farinæ multiplicatum est, vt neque illa, neque oleum, quod paucissimum habebat, longo tempore sit imminutum. Hāc Deus viduę erga Prophetam misericordia vtenti gratiam rependit, qualem etiam alijs postea exhibuisse legitur apud Christianos, quorum grata habuit pietatis officia. Bonifacius, qui deinde episcopus factus est, solebat puer ex horreo, in quo mater frumenta ad vitę subsidium reponebat; aliquid semper pauperibus elargiri: quo animaduerso illa eum obiurgabat, ac vehementer quasi domestica bona filius dissiparet, conquerebatur. Qua re commotus Bonifacius cum matrem lenire cuperet, ad preces confugit, Deum rogans, ne eam erga se iratam esse pateretur. Auditę sunt preces: subito horreum frumento completum est matre non mirāte solum; verum etiam in posterum quoque vt acciperet suadente. Indicare voluit Deus hoc miraculo, quò erga egentes liberaliores sumus, tanto illum nobis res nostras maiori munificentia ac liberalitate cumulaturum.

Lib. 3. Reg. cap. 17.

Greg. lib. 1. Dial. cap. 9.

Sunt verò, quod dolendum est, homines quidam tam peruersum sensum habentes, vt non nisi ijs benefaciendum putent, qui gratiam referre possint, adducentes forsitan illud Plauti. Malè meretur, qui mendico dat, quod edat: nam & quod dat perit, & illi producit vitam ad miseriam. Contra quos merito disputat Lactantius lib. 6. de vero cultu, cap. 11. Quanto melius proferrent Phocylidem eiusdem ethnicæ sectæ auctorem, qui in poemate suo pluribus verbis egentem adiuuandum esse præcipit: Neque committendum, cum ad nos semel venerit, vt iterum reuertatur; Communes enim, inquit, sunt casus; trochus est vita, instabilisque felicitas: subditque diuitias Deum ideo nobis dedisse, vt eas pauperibus distribueremus.

Phocylides in sententijs Grecorum poematum, quæ circum feruntur.

Nam qui obsonare soles ambulando famem, eamque vario epularum genere incitare, dum alijs fames ipsa cibus, & condimentum est, vnde tot commoda accepisti? Certe nisi ingratus esse velis omnia tibi diuinæ beneficentiæ munere concessa fateberis. Terreat te illius auari hominis exitus, qui dum vrget ciuitatem magna annonæ caritas, pauperes muribus similes esse dicebat, natosque consumere fruges, & inutiles Reipub. Itaque eos in horreum conclusos omnes igne cremauit. Diuino iudicio mures illum insequuti sunt, vt nec in illa ipsa turri, ad quam confugerat, quæ ex eo facto nomen inuenit, quin ab ipsis corroderetur, ac deuoraretur defendi potuerit.

Mātua. lib. 12. polymathiæ cap. 8. vbi de fame loquitur.

Ne sit igitur graue oculos conuertere in esurientem, cuius vel solus aspectus te commouere potest, Labant membra; vox tenuis, ac perturbata vix exauditur; oculi in recessus, ac concauitates suas contrahuntur; pallet os; pelle sola ossa operta rigent, venter viscerum ariditate friget, partes omnes corporis languent, vix ossibus hærent, ac sustentantur: Miseriarum summa, cuius necessitate nec ab humanis carnibus plurimi, nec à filiorum pastu matres abstinuerint. Quo magis verum esse fateamur necesse est tritum illud prouerbium, nihil scire ieiunam plebem timere. Calamitosissimum mortis genus. Nam igne, aqua, fulmine, peste ferarum dentibus breui vita deseritur, nec morienti dolor protrahitur: At fames diuturnum malum sensim naturalem humorem absumit; insitum calorem extinguit, corporis vim debilitat: vitam denique eripit. Nec vero ferendum, vt pauper ad extremas has miserias fame adducatur, sed ei celeriter, ac cum festinatione subueniendum, quemadmodum nos Ecclesiastes adhortatur; Cor inopis ne afflixeris, & ne protrahas datum angustianti; Hilarem enim datorem, vt inquit Apostolus, diligit Deus. Et vt est in prouerbiis: Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Reuocemus in memoriam CHRISTI Saluatoris exemplum, qui cum in desertum locum magna comitante hominum multitudine venisset, vt primum eis defecisse vidit, quod man-

Descriptio famis habetur apud Ouid. lib. 8. Metamor. ad calcem.

Ecclesiastici cap. 4.

ducarent, non expectauit vt rogaretur, sed sponte, cum adhuc illi sustinerent, misereor, dixit, super turbam, quia ecce iam triduò sustinet me. Misertus est vt homo, statimque subuenit vt Deus. Acceptis enim septem panibus, & duobus piscibus, iussit discipulos distribuere. Quo facto tantillum illud panis, ac piscium ita auctum est, vt quemadmodum in euangelistis legitur, quatuor millia hominum, absque mulieribus & paruulis saturarentur, & septem sportæ plenæ de residuis fragmentis superessent.

In Ioannis cap. 6.

Nimirum hoc illud est, quod superius dicebamus, & Teophilactus, aliique considerant. Idcirco Christus, cum esurientes turbas pauit hoc miraculo vsus est, vt exigua cibaria multiplicaret, velletque ex eis etiam abundantes reliquias colligi, vt intelligeremus quantam vim habeat eleemosyna, & bonorum communicatio, quæ efficit vt dum indigentibus subuenimus, res distributæ crescant: sicuti contra reconditæ, & coaceruatæ putrescunt. Sed illud nos magis, magisque ad eandem liberalitatem incitare debet, quòd antiquus doctor Cyrillus idem hoc miraculum altiore sensu interpretatur.

Lib. 3. in Ioannem cap. 18.

Ideò enim inquit hæc à Christo multiplicatio facta est, vt certum ac manifestum esset opus charitatis in proximos, quod in hac vita præstamus vberem sibi in futuro sæculo à Deo retributionem vendicare.



POTVM DARE SITIENTIBVS

II

C

A

B

D

E

F

DATE·SICERAM MOERENTIBVS ET·VINVM HIS QVI·AMARO SVNT·ANIMO BIBANT·ET OBLIVISCANTVR EGESTATIS SVAE

PROVERBIORVM CAPITE XXXI·

SI QVIS·SITIT VENIAT AD ME ET·BIBAT

IOANNIS CAPITE VII·

G

H

QVISQVIS·POTVM·DEDERIT·VOBIS·CALICEM AQVAE·IN·NOMINE·MEO·QVIA·CHRISTI ESTIS·AMEN·DICO·VOBIS·NON PERDET·MERCEDEM·SVĀ·MAR·IX



AD SECVNDAM ICONEM NOTAE.

A Occurrit Rebeccæ seruus Abrahæ:& ait, Pusillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua: Quæ respondit; Bibe domine mi. Celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant. *Gen. 24.*

B Cum consumpta esset aqua in vtre, abiecit Agar puerum subter vnam arborem, seditque è regione & fleuit,-vocauitque angelus Dei Agar- Quæ videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere. *Gen. 21.*

C Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuię in tempore siccitatis. *Ecclesi. 35.*

D Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi; da mihi bibere: tu forsan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. *Ioan. 4.*

E Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum; vinum non habent- Ait Iesus. Implete hydrias aqua: & impleuerunt eas vsque ad summũ. Et dicit eis Iesus. Haurite nunc, & ferte architriclino. *Ioan. 2.*

F Quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth. 10.*

G Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & ait Dominus ad Moysem. Virgam, qua percussisti fluuium, tolle in manu tua - percutiesque petram Horeb, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. *Exod. 17.*

H Sitiensque valde (erat autem Samson) clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, & victoriam, & en siti morior -- Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt aquę: quibus haustis refocillauit spiritum, & vires recepit. *Iud. 15.*



SITIENTIBVS POTVM DANDVM ESSE.

EXPLICATIO II.



VONIAM satis,vt nobis videtur,ad pietatem erga esurientes ex his, quæ diximus, Christiani homines animati esse poterunt;erit etiam sitientium cura eadem animi alacritate suscipienda,cum naturæ nostræ imbecillitas non minus potu,quàm pabulo indigeat. Nam, vt apud quendam legimus, tribus præcipue animantium vita continetur cibo, potu, ac spiritu: quorum duo Salomon enumerans, Initium,ait,vitæ hominis aqua & panis.Diuina quidem bonitas inter plurima argumenta munificentiæ suæ in humanum genus,in ipsa vniuersi creatione,naturæ nostræ conditione inspecta, ad sitim extinguendam communem aquam esse voluit; vastissima maria terram alluere iussit,eiusque omnes partes fluminibus quasi per venas corpus irrigauit, vt ideo forsan veteres quidam, qui humiditate constare omnia putauerunt, rerum omnium patrem Oceanum appellarint.

Thaletem Milesium aquam primum rerum omniũ principium posuisse tradit Plutarchus in placitis philosophorum et Laertius.

Et certe vis ardoris omnia perimeret, nisi æstiuum calorem mutata cæli vicissitudine mitius, ac clemẽtius tẽpus exciperet, quo imbribus ex alto demissis solum mollitur, prata recreantur,fruges virescunt, arescentium fontium venæ restituuntur; infuso denique per occultissimas partes humoris nutrimento renouatur vniuersum.Quæ Dei Opt.Maximi benignitas tam latè sese extendit, vt quemadmodũ Christus in Euangelio testatur, pluat super iustos & iniustos.

Matth. 5.

Nec vero solum perpetuis naturæ operibus necessitati nostræ subuenit,quæ vsu ipso minora videntur; sed præter ordinem etiam rerum miraculis editis sæpe sitientibus opem ferre dignatus est. Vetustissimum est Agar ancillæ Aegyptiæ exẽplum,quæ ex Abrahamo Ismaelem genuit:Hęc cum ab Abrahamo dimissa per deserta loca vagaretur,Ismaelem paruulum in sinu tenens;& aqua,quam in vtre attulerat,defecisset,nec vnde haurire posset,appareret,ardore sitis elanguens, puerum subter arborem quandam abiecit, se ab eius conspectu remouens, ne misere deficientem aspiceret,ac magnis eiulatibus uocem tollere,& lachrymari cœpit. Audiuit uocem ancillæ Deus,ac misso angelo,qui eam solaretur, ostendit illi haud longe puteum aquæ,ex quo hauriens utrem impleuit, suamque & tenelli filij sitim extinxit. Quàm vero insignia in exitu Hebræorum de Aegypto extiterunt in hoc genere diuinæ misericordiæ beneficia? Traiecto mari rubro tribus diebus per vastas solitudines ambulauerat, ne riuulum quidem aquarum inueniens: cumque in eas tandem incidissent,gustu amaræ deprehensæ sunt, vnde loco Marath nomen impositum,quod est amaritudo. Languentes autem de via & exanhelati cũcti,cũ quod biberent non haberent,precatus est Moses Deũ,qui ei lignum quoddam indicauit, quod cum aquis immersisset, protinus in dulcedinem versæ sunt. In eodem itinere

Gen. 21.

Exod. 15.

cum in Raphidin castrametati essent, Israelitæ ob aquæ penuriam siti maxima laborantes, contra Mosem etiam iurgijs insurgerent, percutiente Mose silicem, vt Deus iusserat, factæ sunt petræ, vt canit Dauid, in stagna, & rupes in fontes aquarum, ita vt currentes inundare viderentur. *Exod. 17.* *Psal. 113.*

Et hæc quidem veteris testamenti sunt: quid de euangelicæ legis temporibus dicemus? An non similia erga sitientes diuinæ extant beneuolentiæ monumenta? Primum quod Christus in terris patrasse miraculum legitur, huius generis fuit. Honestauerat præsentia sua nuptias in Cana Galileæ; aduertit sanctissima mater, quæ vnà aderat, vinum deesse, & ipsa quoque suam in hoc facto pietatem ostendit; ad filium conuersa: Vinum, inquit, non habent. Tunc Christus, postquam matri quædam respondit, iussit impleri hydrias aqua, ac deinde hauriri: quæ, vt est degustata, deprehensum est aquam in vinum esse conuersam. Sed & subsequētibus temporibus multa Deum ostenta monstrasse narratur, quibus hominibus sitis ardore languentibus præsidium de cælo tulit. Xiphilinus in vita Antonini Cæsaris ita commemorat. *Ioan. 2.*

Barbari olim Quadi nuncupati Romanos in maximas angustias redegerant, præliumque idcirco differebant: quòd cum in loca aridissima eos compulissent, sperabant fore, ut breui æstu, ac siti perirent. Perlatum est ad Imperatorem eos, qui Christiani vocarentur nihil esse quod precibus à Deo, quem colerent non impetrarent; itaque non Arnuphin magum Aegyptium, sed Christianam legionem ex militibus Melitenis rogasse fertur, vt Deum, pro se, suisque sitientibus precaretur. Quod illi cum fecissent, subito percussi fulmine hostes, ac Romani pluuia recreati sunt. Quãobrem Antoninus obstupefactus, publico edicto Christianos extulit, ipsamque legionem fulminatricem appellauit. Dion addit Romanos cum pluuia caderet suspexisse in cælum, eamque in ora recepisse: tum scutis, galeisque subiectis, & sibi equisque abunde copiam bibendi fecisse: plurimos inter pugnandum saucios, sanguinem in galeas infusum vnà cum aqua non sine voluptate hausisse: ac Romani magna ex parte in bibendo occupati, succubuissent, nisi vehemens grando, compluraque fulmina Christianorum precibus in hostes è cælo cecidissent. Spectaculum admirandum; in quo ignis & aqua è cælo laberetur, atque alij valerent & biberent, alij sitirent & perirent: neque ignis Romanos vel minimum attingeret, neque imber Barbaros, qui suo sanguine ignem corporibus illapsum extinguere conarentur, recrearet. Itaque ex iis plurimi ad Romanos confugisse dicuntur, quibus vt ignis obfuerat, ita aqua erat salutaris. Quo facto diuinitus Antoninus, præter morem maiorum, à militibus VII. Imperator est appellatus. *De hac celeberrima histo. Xiphilinus penè in medio vitæ Euseb. lib. 5 cap. 5. hist. Eccles. Haymo de Christianarũ rerum memoria lib. 1. c. 7. et Tertullianus in apolog. cap. 5. et literas refert Iustinus martyr in fine apol. 2.*

Huic non dissimile aliquorum recentiores historiæ in Hierosolymitana Vrbani Pontificis temporibus expeditione exemplum commemorant. Cum enim in maximo regionis illius æstu, siti ardentissima vniuersus exercitus Christianorum enectus, non de victoria solum, sed de vita desperaret, sic Godefridus Deum orasse dicitur: Pater optime, qui rorem in deserto suauissimum sparsisti, & mortalibus tantum munus dedisti, vt è durissimo saxo fontem vberrimum aquarum acciperent, id ipsum in nos pietatis tuæ exemplum edere digneris, & in hac, quam vides, ariditate maxima, dum pro religione tua propaganda pugnamus, nobiscum experire potentiæ tuæ vires immensas; & quamquam longe minus sanctissimis illis patribus meremur, tamen gratiæ tuæ largitate, peccata nostra longe magis superantur. Vix orationi finem fecerat Godefridus, cum cælum intonuit, atque ingens tonitru plausus maximus totius exercitus est consecutus. Tum primum pars illa aeris media, in qua philosophi pluuias generari voluerunt, nubibus obducta est; nec multo post tanta aquarum copia effluxit, ac sitientem terram irrigauit, vt de cælo fontes erumpere viderentur. Vidisses in summa aquarum copia incredibilem militum lætitiã, alios crines, vultumque abstergere, alios finem nullum facere bibendi, alios galeis aquam excipere; plurimos vasa ad communem vsum necessaria implere. *Paulus Aemilius in histo. Gallica lib. 4. ad calcem.*

Ostendit igitur Deus & naturæ,& legis,& euangelij temporibus maximam semper erga sitientes misericordiam. Quo minus dubitandum est, quin id opus, cuius ipse plurima, eaque maxime mirabilia dedit exempla, gratissimum ei, atque acceptissimum sit, si à nobis quoque exerceatur: id vero apertissime verba illa Saluatoris declarant: Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Hæc illi in primis merces erit, de qua alio loco aiebat: Ecce enim merces vestra copiosa est in cælis. Quis igitur ita parum erit de sua salute cogitans, qui nolit exigua aqua emere regnum cælorum, tam pauco pretio tantam mercedem promereri? Quis autem tam pauper reperietur, vt se, cum Dominus ad iudicandum venerit, de huius operis omissione possit excusare? An dices ideo te hoc opus omisisse, quia eius exercendi rarissima esse videatur occasio? Sane, vt initio dicebamus, Deus opt. max. aquam vt pote vnum ex elementis, quibus mundus constat, communem omnibus exposuit, eiusque maximam copiam animantibus est elargitus: sed tamen euenire potest, vt ob loci sterilitatem, alicubi aquæ penuria laboretur: quod vbi accidit, eorum pietatis est tenuioribus subuenire, quibus commodum est. Maxime vero ad oppidorum & ciuitatum dominos pertinet curare, vt ex vicinioribus fontibus aquæ ad commoditatem accolarum propius perducantur. Quo in genere quis veterum Romanorum magnificentiam non admiretur? Quàm enim longe, quot ex locis, aut per riuos subterraneos, aut per arcuatas, easque maximas substructiones, quantaque impensa, vt aqua in vrbem influeret, effecerunt? Quòd si illi ad gloriam, & nominis celebritatem id faciebant, quanto æquius est ad solamen subditorum Christianos Principes idem efficere? in ijs præsertim oppidis, in quibus fontes longius absunt, vt aqua multo labore, longoque itinere à viris ac mulieribus petenda sit. Eiusdem operis exercendi facultatem, misera quædam tempora dare possunt, in quibus aut cæli ardor decurrētes riuos arefecerit, aut vis hostilis obsessis intra muros siue alio loco hominibus aquæ vsum interdixerit; ita & Holofernes in Bethuliæ oppugnatione, præcidi mandauit aquæductum, quo fons in ciuitatem influebat. Gothi eodē consilio vsi, cum Romam obsiderent, plurimos circa vrbem ductus aquarum euerterunt.

Matth. cap. 10.

Iudith. 7.

Procop. de bello Gothorum.

In huiusmodi igitur calamitate, in qua quandoque cyathus aquæ maximo pretio venisse legitur, quis non egenti eam impartire maximæ opus misericordiæ iudicet? Sed & vinum quandoque humanę sitis egestas postulat, vel ob naturę imbecillitatem, vel ob conditionem alicuius morbi, non aliter quàm per vini potum depellendi. Quibus, aliisque qui euenire possent casibus, quis non videat, quid eos facere par sit, quibus latissimæ vineæ sunt, quorum torcularia nō ad necessitatem solum, verum etiam ad voluptatem redundant? Qui vinarias cellas amplissimas habent, easque plenas doliis, mille vini generibus instructas. Atque vt de cibo, qui esurientibus impertitur dicebamus, eum, ita diuina disponēte clementia, ijs, qui in pauperes sunt liberales accrescere, ita ijs, qui in sitientes vinearum suarum fructus distribuerunt, etiam in hoc mundo consueuit quandoque Deus eosdem fructus magis ac magis multiplicare, atque augere.

Bonifacij Ferentinæ ciuitatis episcopi, ac viri erga CHRISTI pauperes liberalissimi exemplum id docet: cui cum solum ex vna vinea ad vitam tuendam exigui redditus præberentur, illi grandine de cælo tactæ vix pauci racemi superfuerant. Ingreditur vineam Bonifacius, ac tantum abest, vt sit indignatus, vt Deo optimo max. gratias egerit, quòd se in sua egestate visitasset. Interea tamen dum vuæ maturescunt, apposito custode vigilantissimo, mandat nepoti, vt dolia pro more pice superfusa præparet. Miratur puer ad quid tot vasa, cum nihil appareret vini, quod infundi posset, iussis tamen obtemperat. Peracta vindemia, Episcopus omnibus exclusis, iubet puerum exiguos illos, qui collecti fuerant calcare racemos, minimū quid


D. Greg. lib. 1. dialog. c. 9

expres-

expressum est. Eo vasa singula intingit, pauperes aduocat, & singulis quantum petebant impartitur: his expeditis cellam vinariam occludit, & obsignat. Post triduum reuersus oratione ad Deum fusa, dolia vino redundare conspecta sunt; præmium certe dignum tanto viro, qui sitienti populo in maxima penuria vinum fuerat elargitus.

CHRISTO igitur, qui te aquæ lauacro ad sacrum fontem in Ecclesiæ sinum excepit, vitæque salutari restituit; ex cuius latere vnà cum preciosissimo sanguine etiã aqua, qua peccata nostra abluerentur, manauit, non tu exiguæ aquæ haustu gratiam rependes? Si ille à te de cruce ardentissimæ sitis leuamen postularet, non præberes? At ille inquit, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Idem CHRISTVS gratiæ cælestis fluenta nobis omnibus referans, exclamabat: Si quis sitit, veniat ad me & bibat; quare ergo ita ingrati erimus, vt ei in pauperibus suis opem nostram imploranti, aquæ terrenæ particulam denegemus? quid tam impium, quàm vt dum sitibundus pauper ad fores tuas iacet, eiulat, vociferatur, tu inter epulas cyathis certes, conuiuas ad æquales propinationes prouoces, atque ebrietati, libidinique omnium vitiorum parenti indulgeas? Quasi verò tibi soli natus sis, ac ventri, & non aliis, quos charitatis præcepto iuuare debeas. Caue vero, ac metue, ne vnà cum diuite illo aliquando optes, vt digito in aqua infuso, ij pauperes, quibus potum denegasti, linguam tuam recreent: cuius exemplo consule saluti tuæ, ac tibi potius in potu parce, ut aliorum siti prouideas. Vide etiam atque etiam, ne uocibus illis in extremo iudicio arguaris, quibus nihil potest esse acerbius: Sitiui, & non dedisti mihi bibere, Discede à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Quòd si te ad misericordiæ opera non ignauum ostenderis, hominique siti languenti exhibere potum studueris, fiet in te quasi hortus irriguus diuinæ gratię donis: atque adeo ex te ipso extinctis, penitusque sublatis ultricibus scelerum tuorum flammis, fons meritorum orietur uberrimus saliens in uitam ęternam.


Matth. 25.
Ioan. 7.
Lucæ 16.
Matth. 25.





OPERIRE NVDOS
III
A
B
C
D
E
F
G
MISERICORDIAM
VOLO·ET
NON
SACRIFICIVM
OSEAE
CAPITE
SEXTO
PANEM·TVVM
CVM
ESVRIENTIBVS
ET·EGENIS
COMEDE:
ET·DE
VESTIMENTIS
TVIS
NVDOS·TEGE
TOBIAE·IV·
CVM·VIDERIS·NVDVM·OPERI·EVM·ET
CARNEM·TVAM·NE·DESPEXERIS
ISAIAE·CAPITE
LVIII·

5



AD TERTIAM ICONEM NOTAE.



A Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. *Gen. 3.*

B Ioseph singulis fratrum suorum proferri iussit binas stolas; Beniamin vero dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis, tantundem pecuniæ, & vestium mittens patri suo. *Gen. 45.*


C Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius. *Luca 15.*

D Cum aduenisset Petrus, duxerunt illum in cænaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. *Actorũ 9. & Mamulus lib. 1. cap. 2.*

E Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. *Luca 3.*

F Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad Baltheum. *Lib. 1. Reg. cap. 18.*

G Tobias esurientes alebat, nudisque vestimenta prębebat, & mortuis, atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. *Tobia 1.*





NVDOS OPERIENDOS ESSE,

EXPLICATIO III.



Lege Plin. lib. 7. histo. initio statim in proœmio.

IN hac bonorum omnium copia, quæ cælo terris, marique spectantur diuino beneficio nobis omnibus concessa, mirum sanè est, non deesse iniquos rerum ęstimatores, qui conquerantur, minime omnium animantium naturæ nostræ consultum fuisse. Nam bestiarum corpora inquiunt, propriis indumentis natura cõtexit, vt absque vlla alterius ope per se satis cæli vim atque iniurias perferre possint; alias quidem coriis, pellibusque durissimis muniuit, alias lanæ velleribus, alias pilorum densitate; alias testa, spinis, ac squamis vestiuit; auibus pennas tam varias, ac multiplices pro tegumento tradidit; quin etiam arbores cortice, nonnullas etiam gemino à frigoribus, & calore defendit; solum hominem nudum omnibus cæli iniuriis exposuit.

Quorum querela quàm aliena sit à ratione, facile ex eo intelligi potest, quòd nemo sibi persuadere possit, Deum optimum parentem liberaliter egisse cum belluis; hominem animal nobilissimum, & ad sui imaginem procreatum, regioque munere donatum, neglexisse. Ille enim hanc rerum vniuersitatem initio ita condidit, vt homo in paradiso loco felicissimo, nullisque aeris permutationibus obnoxio collocaretur; vbi nec vestium subsidio ad frigus depellendum, neque ad tuendum pudorem operimento indigeret: ex qua felicitate cum non nisi sua culpa deiectus esset, non tam de naturæ auctore, quàm de nobis ipsis conqueri par est.

Gen. 2.

Post peccatum enim primorum parentum, deturbatus Adam ex paradiso in statum hunc, quem omnes plenum miseriarum experimur, & frigore algere, & æstu vri, & torreri cœpit, & in primis ob nuditatem, corporis pudorem in se ipso sensit. In qua tamen indigentia hominem Deus deserere noluit; sed vtrique parenti, dum faciem maiestatis suę subterfugit, ac tecto frondibus corpore, se in latibula recipit, suis ipse manibus vestes pelliceas vltro tradidit: vt nobis vel in mundi exordio, & in primo harum miseriarum ingressu, hoc nudos vestiendi ab ipso Deo commostratum exemplum videamus.

Gen. 3.

Idem Deus homini tam viuax dedit ingenium, vt bestijs vestium ornamenta non modo non inuideat; sed ex ipsis desumpta materia vario artificio humanę naturæ prouideat. Cui etiam materię Deus ex arboribus vellera exhibuit, vt omnia hominum causa facta esse intelligeremus. Nam Seres lanificio siluarum nobiles perfusam aqua depectere dicuntur frondium caniciem. Ac bombix corpore quidem animal exiguum solo naturę instinctu Deo ita humanę necessitati prouidente opus suum maximo artificio explet; tempore lanificij fila delicate net, eademque certa ratione agglomerat, ut materiam textrinæ sufficiat. Ei trimestris tantum uita est, totumque genus singulis annis stato tempore funditus perit, ouis solum quibusdam tenuissimis relictis pro semine, quę supremo uitę tempore parit in reparandi generis certissimam spem, ut non sibi suisque, sed nobis ipsis ad laborem na-

Polydorus Virgili⁹ de inuen. rerũ lib. 3. c. 6 Plin. lib. 28 cap. 12. Vida lib. 2. de repub. pag. 56. & in poemate suo.

scatur,

ſcatur, & moriatur.

Non eſt igitur cur doleamus beſtijs indumenta ab ortu fuiſſe conceſſa, cum nobis Deus eas deſeruire voluerit ad hæc naturæ incommoda ſuperanda; quarum auxilio non modo vt primi illi pellibus, ſed arte naturæ addita elegantiori veſtitu vteremur. Dolendũ potius, quod homines diuina liberalitate, opibusq. ingentibus naturæ ad pompam & faſtum abutantur. Quis enim mulierum in hoc genere luxum non deploret? Incedere illas videas per vias, ac templa collo erecto, & nutantibus oculis, ſeſe circumſpicientes, ac ſolem ſe iudicantes hominum obtutibus apparere; collucet aureus & ſuperuacua ſui parte puluerem euerrens amictus, pretioſis collum, & brachia monilibus circumcinguntur; vniones auribus pretij maximi pendent; ſpargunt gemmæ caput, crinesque varij fulgoris interſecant margaritæ.

Quid luxu hoc peruerſum magis, aut pernicioſius dici poteſt? An hoc eſt Apoſtoli præceptum ſeruare, longe aliter ad Timotheum ſcribentis? Volo, inquit, mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate, ornantes ſe non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa; ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. An non idem beatus quoque Petrus præcipit? Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis; quarum tamen non ſit exterius capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus; ſed qui abſconditus eſt homo cordis in incorruptibilitate, modeſti & quieti ſpiritus. Quorſum igitur tanta veſtimentorum varietas tam diligenti ſtudio conquiſita, vt vel in eorum inuentione ingenij ſui vires feminæ noſtrorum temporum experiantur? Quæ ſi cogitarent, vt Cyprianus ait, dum ſerico & purpura indutæ ſunt, quàm difficile ſit, vt CHRISTVM induant; proculdubio, quod eis ad neceſſarium vſum ſuperfluum eſt, CHRISTO & pauperibus erogarent. Neceſsitas enim, vt eſt in prouerbio, vtili indumento contenta eſt; luxus, pretioſum; inanis gloria, elegans excogitauit.

1. ad Timotheum 2.

1. Petri 3.

Interea ſumma hyeme ne folio quidem in arboribus relicto, conſtrictis gelu duriſſimo riuis; flante acerrime borea, quàm multi nõ modo tecto, ſed nec tenuiſſima quidem, atq. attrita veſte a cæli iniurijs defenſi in hominũ conſpectu lachrymis ſuffuſi algent, ac totis artubus contremiſcunt; vt certe non modo hominis, ſed beſtiæ in tanta calamitate poſitę nos commouere poſſit aſpectus. Clamãt nudi, inquit Bernardus, clamant famelici; conqueruntur, & dicunt diuitibus: Nobis fame & frigore miſerabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel ſulicata in manticis? Noſtrum eſt quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis: & nos enim Dei plaſmatio, & nos CHRISTI ſanguine redempti ſumus. Nos igitur fratres veſtri, videte quale ſit de paterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias; noſtris neceſſitatibus ſic detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando perimitis.

Etenim ſi vere, vt veriſſime hoc a D. Bernardo dictum eſt, quæ veſtimenta diuitibus ſuperfluunt, ea eſſe pauperũ; & ſi quæ pauperum ſunt, CHRISTI ſunt, qui quod vni ex minimis ſui fit, ſibi factum reputat; quid ſequitur niſi eos, qui veſtium copia, luxuque abundantes nudum pauperem ſpernunt, ſimiles eſſe Iudæis, qui diuiſerũt ſibi veſtimenta, & ſuper veſtem eius miſerunt ſortem? An vero hoc nos docet diuina beneficentia tam late diffuſa? Circumſpiciamus mundum vniuerſum, eiuſque ſingulas partes. Quocumque cogitatio inciderit, infinita diuinæ in hoc genere benignitatis argumenta reperiemus. Admirabimur certis temporibus tegi frondibus arbores, vites pampinis vſquequaque defendi, herbis ac floribus prata circumueſtiri; & vndique tantam ſui pulchritudinem, ac varietatem oſtentare, vt homines imi-

Matt.6.& Luc.12. tentur quidem eorum ornatum; consequi tamen nullo modo possint. Quod CHRISTVS aliquando significauit, cum dixit, lilia campi se ita vestire, vt nec Salomon in omni gloria sua sic vestiri potuerit.

Inter quas diuinæ suæ liberalitatis opes nudum hominem tibi vestiendum reliquit, vt hanc benemerendi de pauperibus occasionem, hanc gloriæ segetem daret, alienæ miseriæ subueniendo. In quo genere nunquam satis laudari potest eorum beneficentia, qui puellas ob egestatem vix se tegi valentes, huiusmodi donant pietatis munusculis: ex quo fit, vt & sanitati corporis, & multo magis animarum saluti periclitanti subueniant. Quot enim mulieres necessitas adducit, vt pudore postposito, meretriciæ vitæ tradantur? quibus si esset quo sibi vestes parare possent, haud dubie honestatem suam sanctam, inuiolatamque seruarent.

Hoc in primis Romæ in monasterio sanctæ Catharinæ obseruatur, in quod teneræ ætatis puellæ recipiuntur, eæ præsertim, de quibus periculum est, ne ob summam inopiam ad mundanas illecebras conuertantur; ijsque & de victu & de vestitu sufficienter prouidetur. Sed, proh dolor, quanto apud mundum pluris est diabolus, quàm CHRISTVS? Diaboli enim amore quãti sumptus fiunt in meretricibus vestiendis; sordet sericum amanti iuueni amicam demereri cupienti, sordet purpura, nec argento aut auro simplici contentus est: exquirit inusitatos ornatus. Aurum auro superingerit: limbos gemmis radiantibus illustrat: nec explet animum nisi in sacco vermium exornando censum integrum, & patrimonium exhauserit. At pro CHRISTO quis talia facit? Talia? immo vero quis vel religiosissimis claustris deseruientibus rusticum pannum transmittit, vel pauperem in via iacentem minimi pretij telæ operimento circumdat?

Iob.31. An hoc exemplo suo nos admonet sanctus Iob? cuius illa sunt; Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum: Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem; si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Humerus meus a iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Et tamen vir sanctissimus paulo ante vehementer extimescebat quid esset responsurus Deo rationem à se petenti rerum suarum. Quid faciam inquit, cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quęsierit, quid respondebo illi?

Nos vero quasi in portu salutis agamus, modo nos vestiti simus nullam suscipimus curam proximorum nostrorum, qui nudi hominum conspectum vel ob verecundiam subterfugiunt. Quod eo die responsum daturi sunt diuites, cum eos CHRISTVS ad iudicandum veniens ita alloquetur; Nudus eram, & non cooperuistis me? Quid dicent homines in tot superfluis ornamentis occupati? Rem sane indignam.
Matth. 25. Non satis videbatur humanę cupiditati omne genus animalium pellibus denudasse, nisi crines etiam mortuis suis ad cincinnos conficiendos feminæ detraxissent.
Esa.3. Sed decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crines earum nudabit. Diem illis infaustum, in quo Dominus auferet ornatum, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoria, & inaures & annulos, & gẽmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & victas, & theristra, & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.

Sabell. lib. 2.cap.8. & lib.8.c.1. Sapienter igitur Helisabetha regis filia, cum in regia adhuc fortuna esset, inter ancillas, ad mẽdicantium morem, sese induebat. Quamquam plurima sunt aliorum exempla, qui nos docuerunt non modo ornatum abijcere; sed nobis ipsis necessarias vestes detractas pauperibus elargiri; quibus quo magis in Ecclesia nostra abundamus, eo grauiora supplicia, si ea non fuerimus imitati, nos sequantur necesse est.

Narrat Gregorius Pontifex Max.lib.1.dialogorum.cap.9. Bonifacium illum, cuius alias meminimus, præclaros sibi ad episcopatum, quem postea consecutus est, gradus fecisse. Cum enim apud matrem ageret puer interdum sine exteriori tunica, sæpissime sine interiori etiam domum redire cõsueuerat. Ac Serapion † cum idem aliquando fecisset, interrogatus a quodam, quis se expoliasset; ille nullum aliud responsum dedit, nisi quod diuinum Euangeliorum volumen ostendit. Eximia etiam fuit Petri * Telonarij in hoc genere charitas, qui homini ex naufragio erepto ac nudo cum pretiosam vestem dedisset, quam pauper, quod se minime deceret, paulo post vendidisset: vt eam vidit ad diuendendum suspensam, plorans secum cogitabat indignum se fuisse, cuius pauper memoriam apud se conseruaret. Obdormiuit vir pius in lachrymis, cum CHRISTVS sic hominem est consolatus: Veste, quam nautæ tradidisti, ego ipse tegor, agoque pro beneficio gratias; quoniam nudum, ac frigore algentem operuisti. Quam rem admiratus Telonarius, vehementer est accensus ad opera pietatis.

† Leõti⁹ episcopus. Marul. lib. 1. cap. 2. Fulgosus lib. 4. c. 8. Egnatius eodem lib. & capite. simillimum etiam huic exemplum habes apud Socratem in eccl. hist. lib. 4. cap. 23.

* De Petro Telonario lege Leont. epm. habetur tomo 2. Vitarũ Lipomani.

Celeberrimum vero beati Martini † Turonensis episcopi exemplũ nullo modo silentio prætereundum est. Nam cum annos duodecim esset natus, & ad Christianorum Ecclesiam inuitis parentibus profugisset, coactus, vt erat veterani militis filius pro patre sub Constantio, ac Iuliano militare, hyeme atrocissima nudum hominem conspicatus, qui à pluribus eleemosynam petijsset, accepisset autem a nemine, hunc sibi reseruatum credens, educto ense chlamydem, qua sola vtebatur, ita scidit, vt peuperi partem vnam daret, alteram sibi resumeret. Itaque factum est, vt proxima nocte CHRISTVM ea chlamydis parte, qua pauperẽ texerat, vestitum viderit, ita ad angelos, qui illum circumstabant dicentem. Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Quod diuinum beneficium secum perpendens annos natus xviij. sacro ablutus lauacro Christianæ religioni nomen dedit. In qua Episcopus creatus plurima huius generis pietatis opera exercuit, vt in dialogo Seueri & Galli eius discipulorum legitur.

† Sabell. lib. 4. c. 8. marul. lib. 1. cap. 2. & in hist. Lombardica in eius vita.

Nam cum quodam die festo nudus homo ad Ecclesiam vsque se esset insecutus, sacrarium ingressus, tunicam suam exutus pauperi dedit, atque aliam penulam sane tenuem, cuius breuissimæ essent manicæ induens ad sacra peragenda descendit. Igneus è cælo globus in eius vertice apparuit: cumque manus, vt moris est, supplex ad Deum sustulisset, nuda brachia viderunt astantes manibus angelorum torque aureo, & gemmato circundari, atque exornari. Et certe sperandum, si nos quoque tot instructi exemplis nudos cooperuerimus, vt non modo hic abundemus; sed superatis vitæ huius incommodis, cælestis gloriæ splendore, ac stola iucunditatis induamur.

REDIMERE CAPTIVOS VEL AVXILIVM IIS ADFERRE

IV





C

D · E

F

LIBERATE
VI
OPPRESSVM
DE
MANV
CALVMNIATO
RIS


HIEREMIAE
CAPITE
XXII·

ERVE·EOS·QVI
DVCVNTVR
AD
MORTEM·ET
QVI
TRAHVNTVR
AD
INTERITVM
LIBERARE
NECESSES
PROVERBIO:
XXIV·





MEMENTOTE·VINCTORVM·TAMQVAM
SIMVL·VINCTI·AD·HEBRAEOS
CAPITE·XIII·



AD QVARTAM ICONEM NOTAE.



A Quod cum audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo : & diuiſis ſocijs irruit ſuper eos nocte; percuſſitque eos -- Reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum. *Gen.14.*

B Eruit Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores ſuas eruit: nec defuit quiſquam à paruo vſque ad magnum, tam de filijs, quàm de filiabus, & de ſpoliis. *Lib.1. Reg. cap.30.*

C Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui : quia ſæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit. *Epiſt.2. ad Timoth. 1.*

D Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. *Actorũ 5.*

E Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. -- & ecce angelus Domini -- excitauit eum dicens: ſurge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius.--Et exiens ſequebatur eum. *Act.12.*

F Expergefactus autem cuſtos carceris tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes ; & producens eos foras ait: Domini quid me oportet facere vt ſaluus fiam?-- Lauit plagas eorum, & baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuo. *Act.16.*

G Rex Sedecias præcepit Abde-melech; leua Hieremiam prophetam de lacu, antequam moriatur. *Hierem.38*

H Et clamauit Habacuc dicens: Daniel, tolle prandium, quod miſit tibi Deus. *Dan.14.*



CAPTIVOS REDIMENDOS ET IN CARCERIBVS POSITOS INVISENDOS ESSE

EXPLICATIO IIII.



CVm alia plurima diuinæ beneficentiæ munere homo accepit, tum hoc, quod cũ peccati seruus esset, pretioso filij Dei sanguine redemptus est, longe maximum beneficium videri debet. Nam quod terræ fundamenta omnipotens Deus iecerit, aerem cælumque quasi pellem extenderit, hominẽq. ipsum, ex eo, quod nihil erat, excitatum in paradiso, domicilio omniũ amœnissimo, collocauerit, in quo nullus morti relinquebatur locus, tantum fuit, vt humana nequeat oratione explicari: sed quod deiectos ex illis ipsis fortunatissimis sedibus, in hanc terram homines tanquam in exilium ipsemet Dei filius formã serui indutus, inferorũ carceribus reseratis, deuictis hostibus, fusis fugatisque tenebris cælo restituerit, ac triumphans captiuam duxerit captiuitatem, tantum est, vt solum diuinum verbum, quantum fuit, intelligat. Quod exemplum nobis omnibus inter cetera ad imitandum debet esse propositum; vt si ille animas nostras peccatorum laqueis constrictas pretioso sanguine suo liberauit, nos proximorum quoque nostrorum misereamur, qui vel in remotissimis regionibus à fidei nostræ hostibus in captiuitate detinentur, vel vbique terrarum apud nostros in carceribus miseram & inopem vitam agunt.

B. Greg. lib. 3. dial. cap. 1. & Pontanus in Aegidio dial. paulo post initium.

Ac quod pertinet ad primum caput de redemptione captiuorum, pietatem sane insignem docuit nos Paulinus episcopus Nolanus, qui CHRISTVM præceptorem secutus, non se ueri pastoris munere functum arbitrabatur, nisi pro ouibus suis redimendis animam posuisset. Nam Vandalis ex Campania prædas agentibus, cum nihil non effecisset pro captiuorum, qui ex sua erant diœcesi, liberatione, se ipsum etiam vendidit. Accidit enim, vt in Ecclesiæ suę ditione viduæ cuiusdam filius captiuus abduceretur: illa episcopum bonis omnibus pro captiuorum libertate impensis exhaustum aggreditur, conqueritur de filio abducto, cui Paulinus nihil sibi præter se ipsum relictum esse affirmabat: Memet, inquit, quando nihil præterea superest, seruituti dedito. Illudi se eiusmodi dictis mulier credidit; sed factis vir eloquentissimus persuasit. Nam in Africam profectus, vbi captiuus viduæ filius tenebatur, pactus est cum genero Regis, se eius horti cultorẽ futurum, si viduæ filius restitueretur: qua permutatione ille contentus, Paulinus hortuli custos efficitur; illo à socero cum quod uolebat impetrasset, uiduæ matri filius restituitur. Consueuerat sæpe in hortum, ut mos est, animi gratia Paulini herus diuertere, ac cum eo, ex cuius ore sanctitas ac modestia quędam spirabat, frequens colloquebatur. Interea, ut res do-

cuit, vir ſanctus nihil niſi de captiuorum ſuorum redemptione cogitabat. Factum eſt igitur, vt inſtare iam regis obitum Paulino diuinitus reuelaretur. Itaque ſecreto herum ſuum admonet, vt regno prouideat. Prædicebat enim breui fore, vt rex ſocer ſuus moreretur. Aperit ille regi ipſi ſecretum. Poſtridie adfuit pro more olitorum, vt erat diligentiſsimus, ex heri hortulo. Deponit in menſa olera; hunc rex intuitus ſubito expalluit. Viderat enim in ſomnis viros ſibi aduerſos, qui iudicum perſonam agentes, in eius animam ſententiam ferre videbantur: eorum vnum in Paulino recognouit. Quamobrem multis ab illo expoſcit, quis eſſet, qui tandem pluribus verbis victus, narrat ſe epiſcopum Nolanum eſſe. Qua re intellecta rex quæcunque vellet etiam dimidium regni ſui pollicetur. Nihil eiuſmodi ſe vir Dei optare ait; ſed vt tantum tribueret beneficium, quod apud ſe ſummum eſſet, vt omnes Nolanæ ciuitatis captiuos liberos ad ſuos redire permitteret. Annuit rex petitioni. Perquiruntur ex tota Africa captiui, omnesq. onuſtis frumento nauibus omni genere officij & humanitatis cum Paulino dimiſſi ſunt.

Videbitur factum hoc eius generis eſſe, quod pauci ſequantur: nec ſine numine, proprio grege relicto, Paulinus non vnius ſolum, ſed plurimorum, qui captiui in Africa tenebantur, ſalutem ex lõgiſſima nauigatione ſperabat; cum ſingulare quiddam ſit vnius cauſa innumeros gubernationi ſuæ ſubiectos deſtituere, ſeque dedere ſeruituti, vt alios liberemus. Nos enim ita natura edocuit, vt nobis ipſis primo, tum aliis conſultum velimus. Quamquam illud etiam conſtat inter nos, vbi fratris anima periclitetur, corpus exponendum eſſe. At quam multi ſunt ex noſtris inter barbaros, qui propter atrocitatem tormentorum, humana imbecillitate, ac libertatis amore vincantur, & deſerta religione ad impiorum ſectam transfugiant?

Quare piè ſane faciunt, qui illos vel exemplo, vel adhortatione conantur partim nutantes in fide retinere, partim collapſos ad eandem reuocare; illi vero, qui pecunia etiam liberationem captiuorum procurant, maxime commendandi ſunt, vt ſocietas Confalonis in vrbe Roma, cui hæc cura nuper credita eſt: atque ordo Monachorum Trinitatis: quod opus æquum eſſet, vt etiam adiuuarent ij, qui in arca occluſos theſauros aſſeruant. Nam dum in aliis redimendis occuparentur; non modo illos corporum leuioribus, ſed ſe ipſos grauioribus peccatorum catenis liberarent. Ac mirum ſane eſt, vt corpus redimas non dubitas ferrum, aut ignes pati; vt animam redimas, quę etiam facillima ſunt, tibi duriſſima videntur. Quid vero dignum magis homine Chriſtiano, quàm CHRISTI filiis fratribus tuis in fide conſtantibus ad triremes, ad foſſiones, ad lapidicinas damnatis; demum in ergaſtulis, & omni genere tormentorum poſitis opem afferre? Cogita captiuum procul a patria, parentibus, filiis, propinquis, ac ciuibus ſuis inter barbaros, & hoſtes religionis quaſi feram catenis reuinctum, pectore nudato; verberibus contuſum, ſanguine toto corpore madentem, fractum viribus, penitusque debilitatum, ad nouos trahi, quos vix natura ferat labores, cuius te vel ſi hoſtis eſſet, calamitas commoueret.

Lege Polyd. lib. 7. de inuent. rerum cap 4.

Eſt ſeruitus iugum naturæ noſtræ acerbiſsimum; perpetua quædam mors diuturnitate ſua, atque ob imperantium ſæuitiam, moleſtiſsima, præſertim ingenuis, ac nobilibus viris; vt mirandum non ſit, ſi armis, ac vitæ etiam periculo pro libertate pugnatur. Libertas enim ita omnibus cara eſt, vt eam natura ipſis animantibus ratione carentibus ingenerarit. Inter quæ volucres copioſiſsimo, eodemque certiſsimo paſtu neglecto, oblata occaſione, ex cauea euolant, victum quærentes vagæ, ſola libertate contentæ. Ex quo intelligi poteſt, quàm pium ſit ex noſtro genere captiuos rebus omnibus ad vitam pertinentibus deſtitutos vix hoc aere, quem ſpirant ſibi relicto, priſtinæ libertati reſtituere. Quo genere humanitatis etiam ethnicos vſos videmus; vt de Pyrrho Epirotarum rege, & Alexandro memoriæ traditur. Quorum ille Romanos plurimos bello captos, nullo pretio accepto, ſuis ſaluos remiſit: hic Porro iure belli captiuo non modo libertatem, ſed vt amico ampliores

regni fines donauit. Quæ cum de hominibus falsam religionem colentibus legimus, dolendum sane est, si nos non erubescimus, quibus hoc diuinæ vocis oraculo commendatum est, vt quemadmodum Salomon inquit, Liberemus de manu superbi eos, qui iniuriam patiuntur.

Quod si non omnes auro, aut argẽto abundamus; & plurimi non modo alienos, sed nec suos quidem in libertatem vindicare possunt, animus certe, qui maxime a Deo spectatur, in hoc toto genere operum nunquam, vel in ipsa etiam seruitute positis, deesse poterit alios adiuuandi. Multum enim interest inter materiam beneficij, ac beneficium ipsum. Neque pecunia numerata, neque effractæ catenæ, neque aliquid aliud quod ad redemptionem exhibetur, beneficium est; sed ipsius vestigia ac notæ. Voluntas est & propensio ad bene de proximo merendum, in qua vis beneficij consistit: quam voluntatem erga captiuum quilibet licet tenuissimæ fortunæ homo præstare potest, ac debet.

Verum veniamus ad alterum caput, quo eos inuisere persuademur, qui in carceribus detinentur: in quo nec te ob pecuniarum exiguitatem, neque ob locorum interualla potes excusare. In omnibus ciuitatibus, locis celeberrimis carceres palam expositi sunt. Exclamant miseri situ & squalore obsiti, vt calamitati suę subueniatur. Est pietatis Christianæ talium preces humaniter audire, animi imbecillitatem oratione erigere, atque egestatem re ipsa suppeditatis auxiliis subleuare.

Val. Max. lib. 5. cap. 4. & Plin. lib. 7. naturalis hist. cap. 36.

Pulcherrimum in hoc genere pietatis exemplum in Romana historia legimus; Matrem mulier in carcere capitis damnatam habebat; cui cum custos misericordia motus vitam statim eripere nollet, ita eam asseruabat, vt nullo cibo exhibito inedia esset consumenda. Id filia cum audisset, aditum ad matrem a custode obtinuit, quæ tamen ne quid inferret excussis vestibus explorabatur: ingressa illa exerta vbera matri præbebat; eamque per multos dies sui lactis subsidio sustentauit. Quod admirans custos, rem tandem animaduersam ad Senatum detulit: qui non modo veniam mulieri condemnatæ concessit; verum ambabus alimenta ex publico dedit: eoque ipso loco ad facti memoriam pietatis sacellum extruxit. Pari affectu pietatis altera in Græcia mulier patrem senem simili custodiæ, mortisque generi traditum quasi infantem pectori ad motum aliquo temporis spatio aluit. Mulieres vitæ periculo carceres ingredi non sunt veritæ, propriisque parentibus, quod vix credibile videatur, lac prębendo, naturam superarunt: Nos quibus nullo impedimento, quin præmio proposito in carceribus constitutos inuisere concessum est, non & naturam ipsam in hoc opere, & CHRISTI consilium lubentissime sequemur? Non quisque in hoc suas partes diligenter explebit, prudens consilio, amicus consolatione, potens fauore & auctoritate, diues pecunia, pauper saltem precibus ad Deum effusis?

Val. Max. lib. 5. c. 4.

Sane sileri non potest ad documentum exterorum, quàm laudabiliter in hoc munere se Romæ ij, qui ex societate Charitatis sunt, exerceant, quos minime dubium est, laboris sui vberrimum præmium à Deo Opt. Max. referre. Alit ea Societas procuratores, medicos, chirurgos, quorum opera, ac studio pauperibus in carcere constitutis in omni necessitate, ac in publica præsertim carcerum visitatione consulitur. Est enim sapientissime in vrbe Roma institutum ad eorum, qui in carceribus reperiuntur solatium, vt iudices singulis mensibus carceres inuisant. Sedent hi publico in loco, adsunt rei pro ordine vocati, patientissime audiunt: quorum meritis intellectis, penitusque perspectis, pro statu causæ, de expeditione decernitur. Quo tempore Charitatis procuratores pauperum patrocinio destitutorum causas proponunt, atque vt inde eruantur, vehementer vrgent. Adsunt etiam homines ex alia sodalitate Pietatis nomine nuncupata, cuius vir pius ex societate Iesu fundamenta iecit. Quæ sodalitas, & si recentior; celebris tamen est, & in dies magis, magisque floret, præsertim cum Xystus Cardinalis Montaltus, dum hæc commentaremur

eiusdem

eiusdem Sodalitatis patronus amplissimus ad summum Pontificiæ dignitatis gradum euectus illam beneficijs ornare nō desistit. Ea vero in DD. Cosmi ac Damiani ecclesia conuenire solet; vbi præter alia, quæ erga miseros carceribus mancipatos exercent pietatis opera, quolibet die Dominico eligunt homines graues, & gnaros vitæ communis, qui totius Vrbis carceres inuisant, nullumq. locum prætermittant, eos aut adiuuandi, aut consolandi. Quorum nos exempla secuti, si minus integrum est captiuos adire, eosq. aut ex impiorum manibus eripere, aut oratione, ac præsentia recreare, qui tantis locorum spatiis disiungimur, illis pio desiderio, ac precationibus apud Deum opitulari conemur. His autem, qui in carceribus sunt, exhibeamus quæ possumus charitatis, ac pietatis officia, vtriusq. Societatis instituto. Hoc si fecerimus, sperandum erit fore, vt singularem laborum nostrorum remunerationem accipiamus, illo erepti inferorum carcere, in quo nulla spes; nulla consolatio, nulla egrediendi in omnem æternitatem facultas concessa est.



ÆGROTOS INVISERE


NON
TE·PIGEAT
VISITARE
INFIRMVM
EX·HIS ENIM IN
DILECTIONE
FIRMABERIS

ECCLESIAST
CAPITE
VII·

FACTVS·SVM
INFIRMIS
INFIRMVS
VT
INFIRMOS
LVCRIFACEREM

EPIST·I AD
CORINTHIOS
CAPITE
IX·

INFIRMATVR·QVIS·IN·VOBIS·INDVCAT·PRESBTEROS
ECCLESIAE·ET·ORENT·SVPER·EVM·VNGENTES
EVM·OLEO·IN·NOMINE·DOMINI
IACOBI·CAPITE·V·



AD QVINTAM ICONEM NOTAE.



A Nunciatum eſt Ioſeph, quòd ægrotaret pater ſuus; qui aſſumptis duobus filiis ſuis, ire perrexit. Dictumque eſt ſeni, qui confortatus ſedit in lectulo. *Gen.48.*

B Eliſeus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt, deſcenditque ad eum Ioas Rex Iſrael, & flebat coram eo. Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. *Lib.4.Reg. cap.13.*

C Curam illius habe. *Luc.10.*

D Videns eum, miſericordia motus eſt, & appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum. *Luc.10.*

E Quocunque introibat in plateis, infirmi & quotquot tangebant eũ, ſalui fiebant. *Marc.6.*

F Et cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimiſit eam febris: & ſurrexit, & miniſtrabat ei. *Matth.8.*

G Qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio. Igitur tres amici Iob condixerunt, vt pariter venientes viſitarent, & conſolarentur. *Iob.2.*

H Iſaias ægrotantem Ezechiam viſit, terret, conſolatur, ſanat, & ſigno confirmat. -- Et ait Ezechias, facile eſt vmbram creſcere decem lineis, nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus. *4. Reg. 20.*



AEGROS INVISENDOS ESSE

EXPLICATIO V.



CERBISSIMAS ſane calamitates, quaſi teſtamento reliquit Adam humano generi: vtinam non mulieris conſilio acquieuiſſet; nunquam ab illo pacatiſſimo ac beato ſtatu, in quo ab initio ortus ſui fuerat collocatus, aut ipſe, aut eius poſteritas concidiſſet. Qui idem nunquam ſatis miſerandus, ac deflendus caſus, non eos modo, quorum Moſes meminit labores, ac dolores, ſed grauiora quædam damna inuexit, quibus maxime mortales ſubijciuntur. Nam in ipſo vitæ exordio infans à lachrymis, quas cum nullo animātium communes habet, vitam auſpicatur: & cum loquendo neceſsitates ſuas explicare nequeat, eiulatu contentus eſt. Creſcunt cum ætate miſeriæ, & interea clam irrepit ſenectus, ad quam dum veluti ad morbum perpetuum properamus, vbi quieſcendum videretur, in communes labimur ægritudines.

Gen. 3.

Nullum animal maiorem harum miſeriarum partem habet. Quod ſi vel ſolas, de quibus nunc agimus, ægritudines corporis conſiderare velimus, cetera animantia & frigus patientius tolerant, & ardori facilius reſiſtunt, neque ita vt homo aut ſiccitate exareſcunt, aut pluuialibus auſtris atque humore elanguent. Licet in medicorum voluminibus infinita febrium nomina admirari, propria noſtri generis, quas non natura, quam Deus ſanam, atque integram creauerat, ſed noſtra incontinentia, & luxuries inuexit. Ceteris morbis quis eſt modus? Quis numerus? An forſitan vno dumtaxat anni tempore ægrotamus, & non Hyemis, Veris, Autumni, Aeſtatiſque intemperies nos pari impetu proſternit: an longe, vt captiui, ægri quærendi? Quorum tecta omnia, xenodochia, templa, vici, & plateæ plenæ ſunt. Quo igitur frequentior huius pietatis exercendæ, ac amplior materies exhibetur, eo alacrius ad eius ſtudium incitari debemus. Nam CHRISTVS quidem genus humanum in grauiſſima peccati lue confectum inuiſens ex alto, cum plurima miracula ederet, huius generis ſæpiſsime edidiſſe legitur, quibus vario morborum genere debilitatis ſanitas reſtitueretur. Itaque ſemel tantum aquam in vinum conuertiſſe præter naturæ ordinem; ſemel in monte Thabor transfiguratus; ſemel ſuper aquas nocte intempeſta ſicco pede ambulaſſe, ſemel alia aliorum generum ſigna edidiſſe narratur. Illa vero frequentiſsima: cæcis viſum, claudis greſſum, paralyticis firmitatem, mutis loquelam, ac ceteris cuiuſq; generis morbo languentibus incolumitatem diuinitus reddere. Eiuſdem benignitatis exercendæ poteſtatem in primis Diſcipulis dedit, vt illis verbis oſtendit; Super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Mar. 16.

Ex hoc quilibet vir pius conſiderare poterit, quam CHRISTO Opt. Max. carum ſit hoc opus, & quam velit nos etiam ad pietatem erga ægrotos, exemplo ſuo, inci-

tari;sed miracula quidem patrare non valemus. Quid illa? Non ne in nostra potestate sunt?Iacet proximus febri laborans, vel alio morbi genere grauiter affectus, nunc calore,nunc frigore iactatur,ita viribus destituitur,vt se vix versare, aut loco mouere possit: nulla vis appetendi;cor mœret,cœtus hominum fastidit, paulatim sensuum vsum amittit,suspiria ingentia,ac singultus exaudiuntur. Quid de animo dicemus? qui ob vim dolorum offusus tenebris hæret; nulla re nisi lachrymis ac interno dolore pascitur,timore mortis perturbatur,diuinum iudicium cogitare incipit,exitum perhorrescit.In quas extremas angustias cum nobis omnibus aliquando deueniendum sit, nostræ partes erunt proximos in eiusmodi statu positos inuisere,cum eiusdem naturæ communitas nos admoneat, vt eorum misericordia moueamur.

Præclarum huiusce charitatis in historia ecclesiastica exemplum legimus. Refert Nicephorus cum Alexandrię pestis grassaretur maxima, opus hoc tam salutare,ac Deo gratum inuisendi ægrotos Christianos, qui illic viuebant, exercere solitos,nullumq. charitatis officium in ea funestissima lue prætermisisse.Diligenti cura,ac studio labefactis inseruiebant,nequaquam extimescentes in sua met corpora, eos cruciatus,morbosque pertrahere.Itaque quorundam (vt ille dicebat)qui obierant ob tantæ charitatis officium insigne genus mortis creditum est, nec multum à à martyribus alienum. Quod si ne in peste quidem omnium ægritudinum atrocissima,quæ nullis remediis aut arceri,aut reprimi potest, cuiusque maxime metuenda contagio est,illi destitisse dicuntur,quo minus,ęgros inuiserent,eisque ad reparandam sanitatem inseruirent,quid nos facere par est,in communibus morbis,ex quibus nullam tabem,aut contagionis suspicionem extimescimus?In quo genere nuper sanctissimi viri Cardinalis Borrhomæi est nobilitata charitas, qui sæuiēte peste Mediolani non semel caput suum vt patriæ opitularetur in perspicuum vitæ discrimen obiecit. Atque vt semel & breuius quam res tanta postulare videretur,quod in singulis operibus, vita Ignatij Loiolæ decursa, facere poteramus, in ea Xauerij præcipua quædam charitas elucet.Is enim cum in quendam incidisset morbo Gallico misere deformatum, atque ad eius aspectum exhorruisset, statim ita animatus dicitur,vt ex vlceribus ipsis manātem saniem non dubitarit exugere. Qua re est id consecutus,vt omne pietatis,atq. officij genus in ægros ac vlcerosos forti,constantiq. animo exerceret. simile quid de D.Catharina Senensi in eius vita narratur.

Niceph. in hist.eccl.lib. 6. cap. 20. Leonicus de var.hist.lib. 3.cap.vlt.

Io. Petrus Maffeius l. 2.vitæ Ignatij cap.3.

Nemo in mala valetudine non medicum acciri optat, qui morbi causas aperiat; hominem,qui cibum ac potum exhibeat; fractum animum erigat, eique in omnibus,quæ necessaria sunt prouideat.Quæ si pro se ipso Christianus exoptat,cur non aliis præstare curet,cum omnibus à CHRISTO dictum sit;Diliges proximum tuum sicut te ipsum? Nulla est in Christiano orbe ciuitas, in qua non ad ægros recipiendos hospitia maiorum nostrorum liberalitate constructa sint. Exemplo esse potest Vrbs Roma,vt eam potissimum nominemus in qua versamur perfugium omnium gentium;in qua domus hospitales videmus amplas, atq. magnificas,vt merito quæ religionis caput est,eadem charitatis domicilium prædicetur. In eis mireris remedia seu veterum Pontificum, seu nobilium Romanorum munificentia omnis generis parata,Medicos,pharmacopolas, chirurgos,prout necessitas postulat adesse; famulos,ac ministros innumeros accurrere hinc inde, ac diligenter ægrotis deseruire.

Hæc cum passim omnibus hospitia pateant, nullus erit excusationi locus,si nos, vbi nam ægri sint,ignorare dicamus. Ne sit igitur graue Christiano homini salutare CHRISTI consilium amplecti,& in publicis hospitiis in ægrotis CHRISTVM ipsum contemplari,exemplo plurimorum Sanctorum. Ac vt id vnum attingam D. Bernardini † Senēsis,qui in valetudinaria quasi in hortos suauissimos diuertere,atq. inter ægros tanquam in deliciis oblectari solebat. Cum hospitale ingressus eris,

† Lege ī eius vita.hic ipse vt refert Marul. lib. 1.cap.2.prædiolum suū cum pauperib. diuidebat.

primum

primum bene precare languentibus; consolationem mox adhibe, operam tuam & auxilium pro viribus offer; peccatorum expiationem suade, ac ceterorum sacramentorum vberrimam gratiam propone. Nec vero humiliora officia dedignare, cogitans CHRISTVM in qua nocte erat moriturus, discipulis, quibus cum accubuerat, pedes sacratissimis manibus suis lauisse, & abstersisse.

Laude certe, quin etiam imitatione digna religiosorum quorundam charitas, qui succincti, atque inter ministros eiusmodi xenodochiorum permisti, ad infima quæque obeunda non stipendijs, sed sola charitate impellente, descendunt, vltro citroque festinant, cibum miseris afferunt, illumque vt sumant, hortantur, nihil demum gratius, nihil iucundius putant, quam cum ijs agere, quos delicatorum quorundam mollities vel respicere sine stomacho perhorrescit. Tu qui terræ filius ex ea natus dici potes, quique paratus esca vermibus, Tu qui scis CHRISTVM non horruisse Virginis vterum, sed in eo conceptum nouem mensibus habitasse; Tu qui eundem stabulo inter animalia recubuisse legis, eum imitatus, qui Noe parentem derisit, non modo derides, sed horres fratrum tuorum ægrotantium miserrimum, ac lachrymis dignum aspectum?

De cuius castitate legendus est Marul. lib. 3. cap. 10. & lib. 4. c. 8.

Longe aliter Maria illa erat animata Decegnies cognomento dicta, quam ex pago Niuella Leodicensis episcopatus extitisse tradunt. Hæc vitæ sanctitate eximia maritum pellexerat, vt castitatem seruaret. Ambo ergo CHRISTO, non carni seruientes, lepræ morbo affectis ministerium impendisse dicuntur: Non languoris deformitas, non tabes, non sanies fœculenta, non morbi euitandi suspicio retraxit: Miserabilior ægrotantium facies ministrantium curam magis accendebat. Nunc cum CHRISTO regnant in cælo, qui leprosis ministrarunt in terra. Pro breui labore præmia cōsecuti sunt beatitudinis æternæ. Horum insistere vestigiis cernimus viros eius ordinis, qui Ioannis Dei appellatur; quibus ad nouum Hospitale construendum, locum in Insula Tiberina Gregorius XIII. assignauit. Hi enim vrbem totam peragrantes cibum, & subsidia ægrotis inquirunt, vtque eis bene fiat inclamant; ad ipsos accedunt; summa charitate excipiunt; in via grauius iacentes ad ipsorum hospitale sponte deferunt; in quo tanto illis ministrant affectu charitatis, vt diu noctuque ab illis nunquam recedant, pone lectos ægrotantium strati, vt statim assurgere possint, si quid opus habeant & requirant.

Magna dignitas, ac meritum huius operis, quo non fames, sitis, aut frigus, aut seruitus depellitur; sed corporis, atque animi salus adiuuatur. Nil mirum igitur, si (vt legitur in vitis Patrum) senex quidam sanctissimus interrogatus, vter plus mereretur, qui ieiunaret, an qui ægrotantibus inseruiret, respondit ne eum quidem qui diebus sex perpetuo ieiunasset comparare posse illi, qui ægris vel semel inseruiret. Et vere: Nulla enim est virtus, quæ cum hoc opere coniuncta esse non possit. Hic habet diues, vt liberalitatem exerceat: hic præcipue amici fidelitas probatur: hic sapiens cōsilium; hic pauper si aliud non habet ministerium saltem exhibere potest: hic sanctissimę humilitatis virtus ostenditur, dum quis repudiatum ab humana superbia illud CHRISTI consilium sequitur; Qui maior est vestrum seruiat minori:
Iob. 5. hic datur occasio à peccato desistendi, dum miserias nostras consideramus; cui congruit illud Iob, Visitans speciem tuā non peccabis. Hic alitur & augetur charitas, si-
Eccli. 7. cut omnium virtutum habitus suis actibus augentur. Vnde illud Salomonis. Non te pigeat visitare infirmum; ex hoc enim in dilectione firmaberis: Hic deniq. omnium virtutum, quæ quilibet considerare poterit, opera exercendi occasio datur.

Quæ omnia quo maiora sunt, & pluribus fructibus abundant, eo maiorem causam CHRISTVS in extremo iudicio habebit nobis objciendi, cum vt in Euangelio
Matth. 25 est, dicet; Infirmus eram, & non visitastis me. Quod si miraris sub ægrotorum forma CHRISTVM laterę, qui in sede maiestatis suæ ad dexteram Patris residet, id præter CHRISTI testimonium ita esse, facile intelliges ex variis exemplis historiæ sacræ,

in quibus ſe in ægri forma oſtendere voluit, duo tamen referam. Narrat Epiphanius diaconus, monachum quendam Martyrium nomine, cum cœnobia, quæ curæ ſuæ credita erant, inuiſeret, leproſum hominem, atque elephantino morbo fœdatum in via reperiſſe; quem pallio obuolutum, & in humeros ſublatum ſecum ipſe detulit: iam itinere emenſo cœnobij foribus erat vicinus, cum acclamare cœpit; Accurrite fratres: reſerate fores, frater Martyrius Dominum portat. Vix hæc dixerat, cum qui leproſus antea viſus fuerat, in terram integer exilijt, ac plane ea forma, qua recognoſci ſolet humani generis redemptor: qui ſic eum eſt allocutus: Martyri tu me ſuper terram non erubuiſti; neq. ego te in cælo. Accurrerant quot quot erãt in cœnobio fratres, qui cum quæſiſſent, vbi nam ille eſſet, quem humeris detuliſset; ſi agnouiſsem, inquit, nunquã dimiſiſſem: affirmabat enim nullum ſe in eo deferendo onus ſenſiſſe, vt vere ille dicere potuerit: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

Idem de Leone IX. Pontifice Max. ac Sanctiſsimo narratur: qui cum lepra fœdatum hominem in ſtrato ſuo compoſuiſſet, & purpura ac ornamentis ſuis operuiſſet, decurſo aliquo noctis ſpacio reuiſens non inueniſſet, illum de lectulo inſalutatum abijſſe vehementer doluit; itaque tunc primum cogitare cœpit in ægri forma CHRISTVM fuiſse. Horum nos exemplo ſi æterna, quæ illi conſecuti ſunt præmia, exoptamus, non modo abhorrere ægros, ſed in deliciis habere: per vias ſtratis eleemoſynas porrigere; ad fores aduentantibus cibum præbere; omnes denique cuiuſuis morbi genere laborantes ſeu verbo, ſeu pręſentia, ſeu re, ſeu miniſterio, ſeu ſaltem precibus apud Deum Opt. Max. adiuuare debemus.

Pla. in eius vita.


HOSPITIO PEREGRINOS EXCIPERE
VI
A
B
C
D
E
PROPTER MANDATVM ASSVME PAVPEREM ET PROPTER INOPIAM·EIVS NON DIMITTAS·EVM VACVVM·
ECCLESIAST· XXIX·
EGENOS VAGOSQVE INDVC IN DOMVM TVAM
ISAIAE
CAPITE LVIII·
F
G
HOSPITALITATEM·NOLITE·OBLIVISCI·PER HANC·ENIM·PLACVERVNT·QVIDAM ANGELIS·HOSPITIO·RECEPTIS AD·HEBRAEOS·XIII·



AD SEXTAM ICONEM NOTAE.

A Apparuerunt Abrahæ tres viri ſtantes, & dixit: Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, De cuius etiam peregrinationibus, earundemq. laudibus, lege Sabell. lib. 4. cap. 10. & de eiuſdem in peregrinos charitate ſcribit Marulus lib. 1. cap. 3. & Sabell. lib. 7. cap. 6. *Gen. 18.*

B Iuit Lot obuiam angelis, adorauitq. pronus in terram, & dixit: obſecro domini declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi: Lauate pedes veſtros, & mane proficiſcemini in viam veſtram. Lege etiam Marulum lib. 1. cap. 3. & Sabell. lib. 7. cap. 6. *Gen. 19.*

C Coegerunt eum dicentes mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit. Lege Marul. lib. 1. cap. 3. *Luc. 24.*

D Zachæus feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens -- Ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt; eo quod & ipſe ſit filius Abrahæ. Lege Marul. lib. 1 cap 2. *Luc. 19.*

E Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam; & huic erat ſoror nomine Maria; quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Lege Marul. lib. 1. cap. 3. & de vtriuſque eleemoſynis Marul. lib. 1. cap. 3. & Sabell. lib. 2. cap. 1. *Luc. 10. Ioan. 12.*

F Tranſibat Eliſeus per Sunam, Erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panem; cumq. frequenter inde tranſiret, diuertebat ad eam, vt comederet panem. Lege Marulum lib. 1. cap 2. *4. Reg. 4.*

G Raab fecit aſcendere viros exploratores in ſolarium domus ſuæ, operuitq. eos ſtipula lini, quæ erat ibi. *Ioſue 2.*



PEREGRINOS HOSPITIO EXCIPIENDOS ESSE

EXPLICATIO VI.



Rincipio humanum genus vagum per siluas, ac nemora errasse, ac speluncas more ferarum pro domicilio habitasse fertur. Quibus temporibus nulla erat lex, nisi naturę, eaq. densissimis obuoluta, atque obducta nubibus; nulla gubernatio; nulla inter homines consuetudo, cum quisq. suo contentus tugurio proprium ac ferinum viuendi genus sectaretur. Deinde munere hospitalitatis consociati homines, paruis ab initiis ad magna progressum fecerunt; oppidis, ac ciuitatibus conditis, sapienterq. institutis, iura nata sunt, rectus rerum administrādarum ordo, atq. excultior viuendi disciplina introducta. Quo etiam factum est, vt communi conuictu, ac mansuetudine inter domesticos, & alienos quadam societate contracta inter mortales charitas retineretur. Quæ iura hospitalitatis tanto vel apud Ethnicas gentes in honore fuerunt, vt eorum sapientes, qui de moribus, & officiis humanæ vitę libros scripserūt, ius hospitij cognationi, & affinitati compararint. Et Aegyptij bella suscipienda non esse crediderint. Quoniam inter eos, qui aduersa in acie starēt, verendū esset, ne hospes reperiretur.

Sed vt ad sacras historias veniamus, è quibus maxime piorum operum exempla depromenda sunt. Priscis illis temporibus Abrahamus insigne hospitandi exemplum fuit, qui in Mambrea valle, ante tabernaculi ostium sedens omnes peregrinos transeuntes comiter inuitabat; semel autem accidit, vt cum oculos sustulisset apparuerint ei tres viri stantes prope eum: Non eos ad fores expectat, sed obuius occurrit, ac supplex adorat; vt hospites non excipiendas solum, sed etiam honorandos intelligeremus. Domum deducit, obnixe orat, ne longius abeant, quasi accepturus non daturus beneficium; aqua pedes abluit: tum munificus senex lacte, butyro, vitulina carne, ac pane cinericio pascit; deinde abeuntes officiose comitatur; vt quos benigne exciperemus, eosdem honorifice dimittendos esse disceremus. Pro quo pio sane officio, meruit in illis, qui sub humana specie tres erāt cælestes nuncij, Deum vnum ac trinum venerari. Eosdem Lot cum paulo post vidisset humaniter accepit: cuius pietatis merito solus cum domo sua ab eo incendio, quo vrbs tota conflagrauit, seruatus est.

Gen. 18. Sabell. lib. 7. cap. 6. Marul. lib. 1. cap. 3.

Gen. c. 19. et Marulus lib. 1. c. 3.

Iure igitur Iob, de se exemplum posteris præbens, dicebat: Foris non mansit peregrinus; ostium meum viatori patuit. Hoc est illud opus insigne ad quod CHRISTVS nos verbis illis inflammat. Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit: & qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Quę est autem merces iusti, nisi de qua D. Augustinus dicit. Præbe tectum, & accipies cælum? Huius CHRISTI consilij memor Paulus ad Hebræos: Placuerunt in-

Iob. 31.

Heb. 13.

quit,quidam Angelis hoſpitio receptis. Quare & in primitiua Eccleſia tantam in hoc opere Chriſtiani diligentiam adhibebant,vt vel ob id Ethnicis admirationi eſſent:nam Iulianus apoſtata ad Arſaſium ſcribens, cum eandem in ſectæ ſuæ hominibus charitatem requireret:Turpe eſt,inquit,vt nec Iudęos quidem abijciant; ſed nutriant impij Galilęi(ſic enim per contemptum Chriſtianos appellabat)atq. etiā ſuos noſtrosq. pari officio proſequantur;noſtri autem noſtrorum ſolatio deſtituantur. Quamquam longe melius, qui multo poſt ſecutus eſt, Iuſtinianus non modo Chriſtianorum induſtriam probauit, quam ille impius non potuit non laudare,ſed plurima etiam hoſpitalia ædificauit ad aduenas excipiendos, eaq. ingentium pecuniarum annuo redditu locupletauit.

In tripartita hiſt. lib. 6.cap.29.

Procopius Rhetor de ædificijs Iuſtiniani Imp. ſępe,ſed maxime lib.1. cap.5.

Quod inſtitutum antiquæ pietatis vel ab ipſa etiam natura introductum, ac nobis a maioribus noſtris quaſi per manus traditum,vrbs Roma, quaſi nationum omnium parens & hoſpita in primis retinens,ſummam ſemper humanitatem erga peregrinos oſtendit.Cuius teſtimonia plurima in ea vrbe cernimus inſtar oppidorum lata,ingentiaq. conſtructa hoſpitalia, quæ exterorum perfugia maiores eſſe voluerunt.Multa vere ſunt quæ hoſpites in Vrbe admirentur,ac laudent antiquę religionis exempla ſanctiſsima, ſed xenodochia parata atq. inſtructa ſui maximam admirationem facere poſſe videntur. Vix vlla natio eſt tam a Romano cælo remota,quæ non in Vrbe propriū habeat hoſpitiū;in quo ea ſit gubernatio,vt nullum in exteris excipiendis officij genus deſideretur.Atq. hæc quidem ſingulorum; omnium tamē peregrinorum,quotquot in Vrbem aduolant,publicum hoſpitium extat apud nunquam ſatis laudatam ſocietatem,Trinitatis nomine nuncupatam;vbi in rerum omnium neceſſariarum copia & vbertate, præter miniſtrorum charitatem, admirati ſunt ipſi exteri viros nobiliſſimos & clariſſimos,inter ſe humanitatis,ac pietatis officiis certare ſolitos,& ad infima quæq. ſeſe abieciſſe, pedes hoſpitum abluiſſe;manibus ſuis abſterſiſſe;nihil demum non effeciſſe, vt quæ etiam domi ſuæ optaſſent, haberent in Vrbe peregrini.Quod celeberrimum,ac pene incredibile viſum eſt,cū ſacris valuis anno Iubilei pro antiquo more patefactis cæleſtiumq. gratiarum theſauris ampliſsime conceſſis diuerſarum nationum homines ad limina Apoſtolorum acceſſerunt.

Quo tempore hoc ſanctiſſimum opus amplexus Gregorius XIII.priorum Pontificum exemplo plurima cœpit extruere alienigenis hoſpitia, in quibus liberali ac plane munificentia Pontificia,non modo alerentur,ſed in literis,ac pietate ad religionis Chriſtianæ propagationem inſtruerentur. Pręclarum ſane ac ſanctiſſimum inſtitutum ſuis expulſis ſedibus, patrio ſolo deturbatos, ac religionis cauſa profugos in Vrbe vt communi gentium omnium parente excipi, atq. ex ærario publico ſuſtentari,vt in patriam deinde reuerſi Romanę Eccleſiæ religionem tueri & retinere ſtudeant.Quod opus maius videri debet,quam vallo ciuitates munire:portus, ac naualia ædificare, & ſimilibus terrenæ magnificentiæ exemplis ſui memoriam poſteris prodere.Hoc enim hoſpitandi genere,amor communis augetur;charitatis vinculo arctiſſimo externæ gentes colligantur; beneficijs ſingularibus nobis obſtringuntur;ac religio noſtra non modo apud nos retinetur; ſed in locis a nobis remotiſsimis & diſſeminatur,& alitur.

Sunt autem in peregrinos etiam priuatorum munera.Nam ideo hæc a nobis narrantur,vt pro viribus nos etiam imitemur. Si enim nationem vnam non poſſumus excipere,animo certo aduenientes ad nos,amplectamur. Debent autem non ſolum excipi hoſpites; ſed ſuauiſsime tractari, vt etiam ipſi dicant, quemadmodum Eliſeus ad viduam Sunamitidē, Ecce ſedule in omnibus miniſtraſti nobis.Hæc ſedulitas erat in Martha,quæ cum CHRISTVM excepiſſet in domum ſuam,parandi conuiuij ſolicitudine ardens,ſatis animo ſuo facere nequibat: ac proinde Mariam ſororem,vt ſe adiuuaret,ſecumq. labori intenta eſſe vellet, rogabat. Idem ſtudium

4. Reg. 4. Luc. 10.

charitatis in Onesiphoro Apostolus commendat; cui verbis illis benedicens: Det inquit, misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit. Sed cum Romam venisset sollicite me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam a Deo in illa die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi? Quis dubitet pro quo Paulus rogabat misericordiam, ei Deum non liberalissime tribuisse?

Nec vero solum inuitandi sunt; sed etiam prouocandi, ac cogendi domum nostram accedere exemplo eorum discipulorum, qui cum in ciuitatem Emaus magistri abscessu perturbati proficiscerentur, diuinas scripturas ab eodem in medio itinere edocti verbis illis cum summo studio retinere nitebantur: Mane nobiscũ Domine, quoniam aduesperascit. *Luc. 24.* Pręclare D. Chrysostomus: Qualem, inquit, mercedẽ habet qui propter Deum peregrinatur, talem habet qui suscipit peregrinantem: & sunt ambo æquales & qui propter Deum reficit ac recreat, & qui propter Deum laborat. Lõgo itinere fessus peregrinus, interdum æstu perustus ac sudans, vel hyemis frigore algens, vel etiam pluuia totus madens, ignarus viarum ac locorum; a patrio solo longissime remotus, nullum quem nouerit habens, fame ac siti laborans, nudus agens, vel etiam ex hostium captiuitate ereptus, extorris ad suos cogitat. Et nullus erit Christianorum, qui in eo CHRISTVM attentissima contemplatione recognoscens, non domum inuitet suam, vel tectum, vt a cæli se tueatur iniurijs, concedat? Ac Samaritanos quidem Iacobus, & Ioannes CHRISTI discipuli, cum dominum ac magistrum suum noluissent excipere, magno supplicio dignos iudicabant: nam cum præmisisset CHRISTVS nuncios in quoddam Samaritanorum oppidũ, qui sibi pararent quæ ad victum pertinerent, Samaritani eum non receperunt. Id Iacobus & Ioannes cum animaduertissent, Iesum adierunt quærentes, vellet ne se precari, vt ignis è cælo delaberetur, qui eos homines absumeret.

Forsitan autem aliqui ita se excusabunt. Obsecro Domine, quibus in locis te vidimus peregrinum? vtinam ea fuisset oblata occasio, vt tibi cælesti Regi ijs temporibus præsto essemus, quibus sponte humanas calamitates suscepisti: Nos ipsi te peregrinantem in his terris magnifico apparatu excepissemus. Hæc quidem illi; sed respondit, vt in ceteris CHRISTVS; Hospites eram, & non collegistis me: se sub peregrinorum forma esse testatus. Qui alias dixit; Qui suscipit vnum talem paruulum in nomine meo, me suscipit: &, Qui accipit, si quem misero, me accipit. Ideo cruci affixus æterni patris filius portans ipse peccata nostra, vt ea sanguine suo ablueret, exclamat in peregrinorum forma: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.

Id refert D. Greg. in hom. Euangelij, quod legitur secũdo die Paschę.

Hoc cum intelligeret ille paterfamilias, de quo in quodam sermone Gregorius, qui peregrinos suscipere cõsueuisset, aqua ceterorum manibus data, vt vidit vnum serius accessisse, vrceolum accepturus accurrit, vt ipse quoq. lautus mẽsæ assideret: At ille nusquam amplius repertus est. Ea quæ insecuta est nocte, Dominus sic hominem est allocutus: Ceteris diebus me in membris meis, pridie autem me ipsum excepisti. Est enim certissimum, CHRISTVM sub pauperibus esse, & vilibus obtectum indumentis hospitium quærere, ac peregrinantem sanctissima loca orbis terrarum inuisere, vt tu qui suscepto, hospiti officium pręstas, CHRISTO ipsi te pręstare cognoscas. *Maior. l. de Sęnatu c. 6.* Si igitur Romanis, vt quidam ipsorum perhibet, rerum dominis ea veneratio adhibebatur, vt omnes ciuitates, ac nationes Senatorem Romanum publico exciperent hospitio, quid populum Christianum facere par est CHRISTO, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, ad eum sub forma hospitis accedenti?

D. Greg. lib. 4. dial. cap. 14. & Marul. lib. 1. c. 2. et Sabell. lib. 2. c. 7.

Legimus, in porticu quadam, quæ ad D. Clementis peruia erat, quendam fuisse Seruulum nomine, quem præter egestatem lõga dissoluerat ægritudo. Iacuit enim vsq. ad vitæ finem paralyticus; nec vnquam è lectulo surgere, aut in latus declinare, aut manus ad os attrahere potuit, & tamen ita virtutem hospitalitatis adamabat, vt

quidquid

quidquid ex eleemosynis accipere contigisset, id totum per matris ac fratris manus peregrinis erogaret. Homo quidem ignarus literarum, bibliorum tamen quæ sibi emerat, studiosissimus erat. Tandem patientiæ suæ atq. huius erga peregrinos charitatis præmia accepturus, morti proximus omnes monuisse fertur, qui multi circumstabant, peregrinos, vt secum in sui egressu psallerent. Inter cantus ipse quoq. quasi olor suauissime concinens manu silentium indixit: Nunquid non auditis, inquit, quales resonent in cælo laudes? Ad quas ille attentius sese erigens anima corpore soluta est, quam odoris fragrantia maxima est consecuta.

Huc etiam pertinet Theophanius Comes, qui cum egregiam operam hospitalitati, dum vixerat, nauasset, in fine vitæ grauissima suborta tempestate, quod ad sepulchrum deduci non posset, vehementer vxor lamentabatur; cum ille è lectulo assurgens; Absterge, inquit, istas lacrymas: me enim his tenebris excedentem serenitas maxima excipiet. Quæ postrema verba & exitus animæ felicissimus, & claritas tanta consecuta est, vt maior vix optari potuisset. Compara horum finem cum ijs, qui diuitiis affluentes peregrinos quasi alienos ad se minime pertinere crediderunt. Nulli certe dubitandum est, quin hoc munus exercentibus Dominus benedicat, vt quondam domui Ebededon benedixit, qui arcam domui suæ asseruasset: idq. eo magis quod arca, quæ ex materialibus lignis compacta erat, dignior est homo factus ad imaginem Dei, & viuum templum spiritus sancti. Ac demum sperandum, quoniam in his terris peregrinamur à Domino, futurum vt ipse dirigat gressus nostros, donec huius vitæ peregrinatione tandem persoluta, ab eisdem, quibus hospitium dederimus, recipiamur in æterna tabernacula.

D.Greg.lib. 4. dial. cap. 27.




MORTVOS SEPELIRE
VII
A
B C
D
E
F
MORTVO·NON PROHIBEAS GRATIAM·NON DESIS PLORANTIBVS IN CŌSOLATIONE
ECCLESIAST: CAPITE ·VII·
FILI IN MORTVV̄ PRODVC LACRIMAS ET QVASI DIRAPASSVS INCIPE PLORARE ET SECVNDVM IVDICIVM CŌTEGE CORPVS ILLIVS
ECLES·XXXVIII·
G
H
MORTVOS
VBI·INVENERIS·SIGNANS·COMMENDA
SEPVLCRO·ET·DABO·TIBI·PRIMAM
SESSIONEM·IN·RESVRECTIONE·MEA
IIII·ESDRAE·CAPITE·II·



AD SEPTIMAM ICONEM NOTAE.

A Ibi ſepultus eſt ipſe Abraham, & Sarra vxor eius. Gen. cap. 25. lege etiam ibidem cap 23. 47 49.

B Ioſeph aſcendenti iuerunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctiq. maiores natu terræ Aegypti-- celebrantes exequias planctu magno -- Et ſepelierunt Iacob in ſpelunca duplici. *Gen. 50.*

C Habitatores Iabe Galaad ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Betſam, veneruntq. Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igne, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes, & ieiunarunt ſeptem diebus. De ſepultura lege etiam lib. 2. Regum. cap. 3. lib. 4. cap. 13. lege etiam lib. 2. Machab. c. 12. & de luctu Iſrael lib. 1. Machab. cap. 2. Habetur fletus Iudæ Machabæi lib. 1. cap. 9. eiuſdem libri, & de Ionatha lib. 1. cap. 12. & 13. & de Antiocho lib. 1. cap. 6. *Lib. 1. Reg. cap 31.*

D Sepelierunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnũ ſuper eum. *Act. 8.*

E Non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, in Deuter. cap. 21. lege de Chriſti ſepultura, Matthæi cap. 27. Marci cap. 15. Lucæ 23. Ioan. 19.

F Et acceſſerunt diſcipuli Ioannis, Tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud. *Matth. 14. & Marc. 6.*

G Inuenit Prophetes cadauer viri Dei proiectum in via, & aſinum, & leonem ſtantem iuxta cadauer, & intulit illud in ciuitatem, & poſuit in ſepulchro ſuo, & planxerunt eum. *3. Reg. 13.*

H Arguebant Tobiam omnes proximi eius dicentes: Iam huius rei cauſa interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos? *Tob. 2.*



MORTVOS SEPELIENDOS ESSE

EXPLICATIO VII.



Lege Alex. ab Alexan. lib.6.cap.4. & lib. 3. c. 2. vbi scribit de vario ritu sepeliẽdi mortuos. de quo etiã Polyd. lib. 6. cap. 10. de inuen. alius lib. 17. cap.19. anti quar. lect. Deut. 21.

EXTREMVM reddere homini ad Dei imaginem condito pietatis officium, humanum sane, & Deo gratum opus est. Quod non modo antiquissimi Patres nos docuerunt, & more eorum Ecclesia sanctissime colit; sed etiam primis naturę sæculis apud omnes gentes obseruatum accepimus. Condire soliti erant Aegyptij mortuos, Persę cera circumlinire: apud Indos summa dignitas eorum habebatur, qui mortuorum iusta curabant; Romani veteres floribus, & aromatibus sepulchra sparsisse dicuntur: apud Hebręos diuina lege cautum erat, ne ipsa sceleratorum corpora, qui ob aliquod facinus morti essent addicti, sepulturę honore carerent. Demum gentes omnes in maximo ignominię loco ponebant corpus inhumatum relinqui.

2. Reg. 2. Eccl. 7.

Nos vero Christiani, quos diuina lux illustrauit, merito curã pro mortuis agimus, eorumq. sepulturam non modo inter opera pietatis adnumeramus; sed vltimo loco, vt ceteris, quę ad corpus pertinent, coronidem addat, collocamus. Nam viuis primo consulendum fuit, deinde mortuis, qui cum longe maiori miseratione digni sint, hoc, quod erga illos exhibetur maximæ misericordiæ opus merito iudicabitur. Hoc mitissimus rex Dauid sentiens, bene precatur his, qui Saulis & Ionathę cadauera sepelierant. Hæc enim est gratia, quam Salomon dicebat mortuo non esse prohibendam. Natura certe admonet, vt quem viuum fame, ac siti enectum recreare; nudum operire; in hostium manibus positum liberare conabamur; aut hospitio indigentem excipere; aut ægrotantem visere solebamus: nunc sensibus omnibus destitutum, misericordia prosequamur, sepulchroq. communi omnium nostrũ domicilio, ac diu duraturo, ita vt conuenit, inferamus.

Lege ser. 1. de consolatione mortuorum initio statim.

Iacet corpus exanime, ac gelidum; homo vt ait D. Augustinus, sine homine; cadauer sine spiritu; acclamatur, nec respondet; vocatur, & non exaudit, deperditis vitalibus functionibus, qui fuit, non est; nemo suorum adiuuat, nec ipse auxilium postulare potest. Quam ob causam nos eo magis commoueri æquum est. Potest enim qui fame, aut siti laborat vel ex prato, vel ex profluente recreari, qui nudus est folijs vestes contexere, qui ægrotat maiorum in alijs miseriarum cogitatione se consolari, & captiuus in seruitute, & peregrinus sub frigido cælo respirat. At mortuus cum anima, sensuq. careat, nec quo se vertat, nec quid imploret amplius, nec vim habet implorandi. Nil mirum igitur si insit a natura in humanis pectoribus singularis erga defunctos pietas, ac miseratio. Auget hunc affectum, quod nihil est æque commune omnibus, ac mors: Propter quam mutato vestitu atrati incedimus, vultu demisso, mœrentes, & ductis ex imo pectore suspirijs nec quidem lacrymas in ipso populi conspectu cohibemus.

Hoc est illud opus, quo est ita celebris Tobias, vt de eo in scripturis præclarum elogium habeatur. Nam cum Senacherib maximo aduersus filios Israelis furore incitatus, plurimos eorum interficeret cæsorum corpora Tobias tanta cum charitate sepulturæ mandabat, vt ob eam causam pene ipse in hostium manus incidens, sit interfectus. Atq. in eodem opere perseuerans cum prandium die festo Domini dare instituisset tribu libus, ac propinquis suis, missus qui eos inuitaret filius, mortuum in via iacere patri nuntiauit: Tum ipse statim surgens a mensa ieiunus clam intra domum suam cadauer portat, post occasum solis tumulo mandaturus. Hoc facto lacrymans accubuit. interim conuiuæ, qui aderant, sanctum senem increpare, accusare, ac vehementer obiurgare, quod id etiam aggrederetur, cuius causa vix mortem effugisset. At ipse metum Dei,& charitatis officium humanis sermonibus anteponebat. Quam vero,& studiose, & crebro in hoc opere sese exerceret, hinc licet perspicere, quod aliquando ita defessus fuit hoc munere sepeliendi, vt domum rediens atq. ad parietem se iactans obdormisceret. Quo quidem tempore illud singularis, eximiæq. patientiæ documentum, immissa cęcitate, Deus dare voluit.

Tobiæ c. 1. & apud eũdem sępe.

Tobię 2.

Eiusdem pietatis exemplum longo post tempore sequuti sunt Christiani, vt interim pręteream Patriarcharum funera, Abrahami, Iacobi, Iosephi, ac ceterorum, quibus plena est antiqua Hebręorum historia. Christiani igitur Alexandrini maxima in ea ciuitate peste grassante, ipsimet manibus suis defunctorum cadauera excipiebant; oculos & ora occludebant, attollebant in humeros, lauabant, complectebantur, funeralibus vestibus ornabant, paulo post eadem sorte potituri. Sic & alij, vt est in ecclesiastica historia, in maximo męrore versabantur, quod non eis liceret ob tyrannorum crudelitatem martyrum suorum humare reliquias, aut auro redimere. † De plurimis vero ac nobilissimis matronis Romanis, ut de Praxede, & Pudentiana sororibus, de Priscilla, Cyriaca,* Lucina, quę nobilissimę familię SABELLAE Romę primarię inter ceteras eiusdem familię sanctitatis nomine clarissimas adnumeratur; alijsq. memorię proditum est nocte intempesta martyrum corpora in suis fundis, vbi & peculiaria ad hoc cęmeteria effecerunt eas humare consueuisse. Quod exemplum potest esse ijs, qui in Anglia, hac atrocissima tempestate, viros fideles pro CHRISTO morientes aspiciunt, quos eo illustriori sepulchro honestari par est, quo alacrius pro veritate animam tradiderunt.

Lege Gen. c. 23. 47. 49.

Niceph. l. 4. hist. eccl. c. 17. & l. 7. cap. 28.

† Lege notas ĩ vitas DD. Abundij & Abundãtij recẽs editas vbi infinitũ pene numerum habes matronarũ, quę se in hoc munere sanctißime exercuerunt.

** Hist. Monastica.*

Venio ad Antonium, de quo præclarũ apud † Hieronymum exemplum charitatis erga mortuos extat. B. Antonius, postquam Paulum primum eremi cultorem inuisit, regressusq. est supra ętatem celeritate maxima, vt Athanasij pallium, quo senex moriens obuolueretur, afferret: in ipsa spelunca genibus complicatis, erecta ad cælum ceruice, extensisq. in altum manibus corpus exanime reperisse dicitur. Hic ille nulla prętermisit pietatis officia, Deum, cui omnia viuunt, in primis precatur; tum corpore velato, ac foras humeris suis deportato, non destitit hymnos, ac psalmos, ex antiqua religionis consuetudine, decantare. Quibus peractis, sarculum quęrere trepidans senex, huc atq. illuc circumspicere, quo tumulum excitet, fluctuare vehementer, anceps ac dubius an in cœnobium reuerteretur trium dierum itinere, an ipse quoq. in senis sanctissimi complexibus moreretur.

† D. Hieronymus in vita Pauli primi eremitę. ad finem.

Verum hæc illi cogitanti duo præsto fuerunt subito Leones ex eremi interiori parte diffusis iubis & aspectu, vt videbantur, ferocissimi; illi ut ad cadauer recto cursu venere, blandiri, ad pedes Pauli mœsti accumbere, mugire, nullum demum officium dimittere visi sunt, quod non a fera; sed ab homine in ea solitudine desiderasses. Planctu, more suo, peracto, humum pedibus scalpere, arenamq. certatim egerere conati, sepulchrum sane honorificum, vt locus postulabat,& eorum requirebat industria, effoderunt. His expeditis ad Antonium perrexerũt, eius manus, pedesq. lingentes. Aduertit prudentissimus senex bestias illas blanditijs suis pro laboris mercede benedictionem postulare. Itaq. in Deum effusus, quem muta quoq. ani

malia sentirent; Domine, inquit, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus quidem passer in terram decidit, da illis, sicut tu scis, & manu abnuens, iussit abire. Non destitit ille ab incœpto officio: persecutus est venerandi senis exequias; tum vero sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, quo in fossa deposito, tumulum composuit. Quo non peruadit pietas mortuorum, quæ ferarum etiam pectora Deus penetrare voluit? Quid enim ita inusitatum, aut inauditum videri debet, quam bestias, quæ mortem procurare solent, tumulum hominibus parasse?

Non sunt igitur contemnenda cadauera mortuorum, in quibus domicilium habuerit Spiritus sanctus, & mens immortalis ipsa, & ad omnipotētis Dei imaginem condita. Quorum viuentium tam præclaræ fuerunt interdum functiones, vt vel ob suorum vel patriæ, vel Ecclesiæ salutem, strenue pugnauerint. Quorum vel in familiari consuetudine humanitatem, & beneuolentiam experti sumus, vel erga Deum pietatem, ac religionem sumus admirati. Hoc ipsum, quod cernis, cadauer aliquando relicta mortalitate, induet incorruptionem. Nam Saluatorem ex-
Phil. 3. pectamus, vt inquit Paulus, Dominum Iesum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, secundum conformitatem corporis gloriæ suæ. Hic pallens & tene-
1. Cor. 15. brosus aspectus cęlestis gloriæ luce, & claritate radiabit; hoc quod in infirmitate seminatum vides iacere, excitabitur in virtute; hæc caro, quæ in cineres breui dissoluenda est, de puluere consurget, nec famem amplius, aut sitim, aut ægritudines, aut casus vllos sentiet aduersos: hoc corpus, cuius perpetua semper cum spiritu pugna fuit, pax & firma securitas inhabitabit, cuius vita non caduca amplius; sed perpetua ac felicissima futura est.

Merito igitur Ecclesia instituit, vt eorum corpora, qui in Romana fide, & diuina gratia obijsse viderētur, quasi reliquias ad tumulum ducto funere, efferimus. Quam solemnis est ille apparatus? Domo educitur cadauer: in feretrum imponitur: defertur: propinqui mœrentes prosequuntur: honesti nobilesq. viri comitantur, qui orbitatem coniunctorum leniant, & consolentur: fiunt solemnes funeris precationes: lugubri cantu personant viæ: templum funus ingreditur: facibus collucēt aræ: ad tumulum vsq. extrema præstantur officia. Insignis sane pietas, quam nos inter cetera Christianæ religionis documenta ab initio nascentis Ecclesiæ a maioribus nostris accepimus. Dionysius Areopagita Apostoli Pauli discipulus in aureo suo libello de hierarchia cęlesti ita nos docuit: Deferunt, inquit, cum cantu ad Antistitem corpus quasi sanctarum coronarum donatorem, qui omnia perficit, quę ex sancto instituto fiunt ijs, qui pie dormierunt. Fit sacrum solemne, fiunt precationes, agit Deo gratias Pontifex; deinceps ministri promissis veris, quæ feruntur in scriptis diuinis de sancta nostra resurrectione recitatis, psalmos concinunt; deinde accedens diuinus Antistes sanctissimas addit preces. Ac D. Clemens a B. Petro Pontifex electus in constitutionibus apostolicis; Conuenite, inquit, in cœmeteria sacros libros in ijs legentes, & psallentes pro ijs, qui dormierunt martyribus, ac fratribus nostris, & acceptabilem Eucharistiam offerte in ecclesijs, & cœmeterijs vestris, ac in exitu mortuorum psallentes eos deducite, si fideles fuerint in Domino. Vbi etiam nec ab anniuersarij memoria vetustissima, vt etiam ipse Tertullianus in de corona militis scribere destitit.

D. Clemens lib. 8. cap. 30. & 48. & eadē de re lege Orig. hom. 6. in Exodum & hom. 25. in Numeros.

Itaq. Christiani Romanæ Vrbis, vt & aliarum ciuitatum bene ac sapienter institutas cęremonias has maximo studio & religione conseruarunt, & in primis ne vt cōtingere solet inter mortales defunctorum corpora in vijs strata iacerent, vel si qui paupertate ad tumulum honeste deferri non possent, piorum hominum humeris honorifica pompa, accensis luminibus, ac consueto psallentium sacerdotum cantu ad tumulum deportarentur.

Huius muneris exequendi laborem societas Mortis nomine nuncupata præcipua charitate suscepit: cuius societatis homines non Vrbis contenti mœnibus in

ipso

ipſo æſtu, vel etiam in medijs imbribus agros luſtrant, & quos nouerint caſu aliquo occubuiſſe, debito ritu Romam deferunt, & in ſepulchrum, quod ſuis impenſis effoderunt, inferunt.

Quæ omnia non minimum momentum habere debent ad excitandos animos noſtros ad tantum opus miſericordiæ. Formicis a natura inditum viri prudentes obſeruarunt, vt ſi dum in granis colligendis toto agmine ſunt occupatæ, earum aliqua vel onere, vel caſu conciderit, ceteræ illam quaſi ad tumulum ea in loca quæ ſub cauernis ab horreo ſeparata ſunt, onus ſuſcipientes inferunt, comitante, ac propemodum funus ducente alia multitudine.

Plutarc. in lib. de ſolertia animaliū pene circa medium.


Non me latet, non omnibus conuenire mortuū in humeros attollere; ſed comitari defunctum ad ſepulturam, propoſito præſertim indulgentiarum præmio a ſummis Pontificibus, nemo non debet. Diuitum eſt eos, qui nihil relinquunt, quo ad eccleſiam deferri poſſint, vt pote qui graui familia & egeſtate oppreſſi decedunt, eos ad eccleſiam proprijs eleemoſynis curare deferendos. In quo caſu pietas poſtulat, vt ſacerdotes quoq. omneſq. ad quos funeraliū vtilitas pertinet, aliquid pauperibus remittant. Hæredum eſt legata exequi: preces Deo fundere pro defuncto; ac curare, vt ad expiationem pœnarum Purgatorij, ſacrificia pro illis offerātur. Admonentur etiam filij, ne ſoli hæreditati inhiantes, nudum patrem quaſi feram ſub terram tradant; nec affines & conſanguinei quorundam imitentur eiulatus, qui quaſi nihil poſt hanc mortalem vitam extet amplius, contra Deum ipſum inſurgere videntur. ſed Chriſtianum ritum ſecuti, omnes cęleſtis beatitudinis terminum cogitent, ad eumq. ſancte decedentes perueniſſe lætentur.

Sunt autem fructus, qui ex hac in mortuos charitate colliguntur uberrimi. Nam in primis quaſi ante oculos ſpectatur miſeria noſtra: Deprimitur humana ſuperbia, cum nos puluerem, ac cinerem eſſe recognoſcimus; A peccatis reuocamur, extremum vitæ finem cogitantes; fidem exercemus in putrefacto corpore, futurā credentes animorum reſurrectionem: communem demum meditamur, ac deploramus calamitatem; Omnes enim morimur, & quaſi aqua dilabimur. Nemini mors parcit; & licet non vno eodemq. die, ſerius tamen aut ocyus, inquit, ille calcanda via lethi. Datus eſt a natura commorandi, non habitandi locus: ex huius vitæ curſu, veluti ex hoſpitio decedendum: Frangitur marmor, molleſcit adamas; ad manſuetudinem reuocantur feræ; ſola mors inexorabilis eſt: & ſi ſemel breuis hæc lux occidat; nequaquam tamen vt falſus & impudicus poeta delirat: Nox eſt perpetua vna dormienda: viuit animus ſolutus corpore, & dies etiam illuceſcet, quo corpora ipſa conſurgent ad iudicium, in quo redditurus eſt vnuſquiſq. rationem de his, quæ fecit operum, ſeu bona, ſeu mala in corpore ſuo. Hic quamdiu ſumus, peregrinamur a Domino. Vnde ille in eam vocem erupit. Heu mihi, quia peregrinatio mea longinqua facta eſt: Sciebat enim & ſi terrena domus noſtra habitationis huius diſſoluebatur, ſedem nos habere non manu factam, ſed æternam in cælo. Ad quam, vt rite ſeptem, de quibus egimus, pietatis operibus perſolutis, peruenire poſſimus, ille rogandus eſt, qui docuit iudicium ſine miſericordia futurum his, qui non fecerunt miſericordiam. Aperte autem proclamauit· Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Finis partis prioris.









IGNAROS EDOCE

ICONES
OPERVM MISERICORDIAE CVM IVLII ROSCII HORTINI SENTENTIIS, ET, EXPLICATIONIBVS
PARS POSTERIOR
EORVM QVAE AD ANIMVM REFERVNTVR

CONSOLARE MOESTOS





IMPENSIS B. GRASSII R. BIBLIOPOLAE
INCIDEBAT ROMAE M. CARTARIVS

CIↃ IↃ XXCVI
CVM PRIVILEGIO

PECCANTES CORRIGE

FER DEFECTVS












CONSVLE DVBITANTI

ORA PRO PROXIMO

FER INIVRIAS



IN SEPTEM OPERA MISERICORDIAE SPIRITVALIA

PRAEFATIO.

NArrat hiſtoria Regum cum Salomon templū Deo magnificentiſſimum ædificaret in interiori parte, quæ dicebatur, Sancta Sanctorū, feciſſe locum oraculi, in quo poneret arcam fœderis Domini, eumq. locum operuiſſe auro puriſſimo, & varijs cælaturis tum materia, tum opere precioſiſſimis exornaſſe. Vt autem ad præfulgens id ac maieſtatis ſimul pleniſſimum oraculum adiretur, fecit in ingreſſu eius, vt eadem Scriptura inquit, duo oſtiola de lignis oliuarum. Sane per interiorem partem templi, quæ dicta eſt Sancta ſanctorum, feliciſſima cæleſtis patria ſæpe a ſacris doctoribus intelligitur. Per incluſum igitur in eo locum oraculi aureis ornamentis ſplendidiſſimum ſublimiorem in eadem cæleſti patria gradum beatitudinis commode poſſumus interpretari. Quod vero ad oraculum per duo oſtiola de lignis oliuarum fabricata patebat ingreſſus, quid aliud exponemus, niſi quod cum duæ ſint partes miſericordiæ, altera qua corporalibus proximi neceſſitatibus ſubuenimus; altera qua eos in ſpiritualibus adiuuamus; per vtrumq. genus operum aditum nobis ad cæleſtis beatitudinis domicilium aperimus? Oliua enim typus eſt miſericordiæ, vt Dauid oſtendit, cum ait: Ego quaſi oliua fructifera in domo Dei ſperaui in miſericordia Dei. Merito enim in miſericordia Dei miſericordes ſperare poſſunt, de qui-

bus dictum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Hinc Christus, qui misericordia mundum liberauerat, de monte oliuarum in cælum voluit ascendere ad indicandum quod eiusdem virtutis gradibus eo nobis est ascendendum. Congrue autem misericordiæ virtus significatur per oliuam, cuius fructus est oleum, quia sicut oleum ceteris liquoribus supernatat, sic opus misericordiæ reliquis præcellit operibus: sicut oleum dolorem plagarum lenit ac mitigat, ita misericordia exhibita proximorum miseriæ ac dolores leniuntur. Sicut oleo nutritur ignis accensus, ita misericordiæ operibus nutritur charitas. Sicut oleum lucidum est, facitq. vt lux lampadis ardentis ceteris luceat, sic per misericordiam lucent opera nostra bona coram hominibus. Sicut oleum deniq. alit ac pascit corpus, ita misericordia animæ est pabulum iucundissimum. Duo igitur ostiola facta de lignis oliuarum, duo sunt genera misericordiarum. Quorum primo expedito, quo corporalibus necessitatibus proximorum opem ferimus, iam ad secundum ingredimur, in quo admonemur spirituali aliqua miseria laborantem fratrem nostrum pie atq. humaniter adiuuare.

Quod si ea, quæ hucusq. tractauimus, nos aliquo modo incitare potuerunt ad opera, quibus corpus hoc mortale ac caducum curatur, quanto maiori cura in his elaborare debemus, quæ animis medicinam allatura sunt? Vt siti & fame enectum pasceremus, cibum ac potum corpori præbebamus: vt ab imbribus frigore, & temporum iniurijs tueremur, vestes dedimus: ut uinctos è carcere educeremus, omnem lapidem mouebamus: vt ægrotum solaremur, nihil non agebamus, de via fessos peregrinos domi nostræ excipiebamus: mortuos demum ad sepulchrum honorifice deducebamus. Iam vero cum de anima agatur, quæ non erit cura eius causa suscipienda; cum Christus dixerit (quod frequentissime est inculcādum) Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Quid prodest cibus, aut potus, aut uestis, aut libertas, aut sanitas, aut a cæli iniurijs defendens tectum, aut extrema decedentium domus sepulchrum, si peccato perit anima? Anima primum nobilitate naturæ non solum corpori quod viuificat;

sed

ſed omnibus rebus quæ ſub cœlo ſunt antecellit. Quippe non vt corporeæ res ex materia producta, ſed a Deo ipſo creata eiuſdemq. ore vt ſcriptura ait inſpiratur. Magna hæc dignitas quod non è terra exurgit, non in aquis progignitur, non aere, aut igne conflatur; ſed ab omni elementorum concretione ſegregata purus ſpiritus eſt. Quamobrem pro ea tuenda qui non merito labor ſuſcipi debet?

Ex hoc capite alia eius dignitas ſequitur, propter quam maximo in pretio animæ ſalus habenda eſt: eſt enim anima facta ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Tertio quanta eſt pulchritudo animæ virtutum operibus exornatæ, tanta contra erit deformitas, quæ ex peccatis, et ex varijs perturbationibus in ea contrahitur. Atq. vt quidam ait, ſi pulchritudo virtutis oculis aſpici poſſet, fore, vt omnes ad ſui amorem alliceret; ita ſi peccati deformitas ſub aſpectũ cadere poſſet, nihil eſſet, quod maiorem ſui miſeratione̅ commoueret, quam anima peccato infecta. Nam ſi corpore ægrotantes miſeramur, quanto magis ægris animis miſeratio debetur? Quis autem dubitet ægrotare animam virtutibus carentem, cum Dionyſius Areopagita ita expreſſe dicat: Temperantiæ ac continentiæ, ipſiuſq. adeo iuſtitiæ & virtutum omniũ receſſu ægra efficitur & dicitur anima: vbi enim nulla virtus, ibi uitiorum regnum quaſi in arce animi dominatur. Quod ſi morbus ingraueſcat fiet vt mens, quæ vt auriga regere debuiſſet, è ſuo deiecta loco in omnem partem miſere agatur. Quis eiuſmodi miſerias vel audiendo non perhorreſcat? Quarto cum omnia eſſe deſinant, anima immortalis eſt. Quamobrem & ſi cetera animantia aliquid moleſtiarum patiantur, earum finis aliquis eſt; anima ipſorum vna cum corpore deficiente. Homini autem, cuius animus æternus eſt, prouidendum ne vt in perpetuum durat, ita ſua culpa perpetuis ſupplicijs mancipetur. Quinto eadem æternitas ſicut admonet vt caueatur ne anima æternis pœnis crucianda damnetur; ita excitare nos debet, vt bonis operibus, ac præcipue ijs, quæ miſericordiæ ſunt, aditus ei ad immortalem vitam et gloriam aperiatur. Ad eam enim bonis omnibus circumfluentem felicitatem anima a Deo creata eſt. Sexto ne hoc fine deſtituerentur animæ hu-

manæ tantis a Deo excellentijs exornatæ, cum eius consecutionem prima nostrorum parẽtum culpa interposuisset, delapsus est è cælo Dei filius, humanamq. induit naturam, multa tulit, fecit, sudauit & alsit, propriumq. sanguinem sparsit non aliam ob causam, nisi vt animas nostras redimeret. Ita enim Deus dilexit mundum, quemadmodum est apud Ioannem, vt filium suum vnigenitum daret.

Accedit, quod vbi maius est periculum, præsertim in re graui, ibi maior cura & diligentia adhibenda est, vt obuiam periculo eatur. Quid autem tam procliue, ac facile quam animam licet tanti pretij ac dignitatis amittere? Hinc caro, hinc mundus, hinc satan instigat, & vexat. Magna est naturæ fragilitas, praua exempla ad perniciem trahunt, consuetudine vincimur, dæmon maximas prædas agit. Summopere igitur laborandum est pro salute animarum, quæ cum multis modis periclitari soleant, misericordiæ Christianæ munus est, eis quibuscumq. modis fieri poßit opem ferre ac subuenire. Aberrant animæ sæpe ob ignorantiam, quid tam pium, quam vt salutari doctrina in viam reducantur? ruunt in variorum generum scelera, quæ non pietas hortatur vt placida, & si opus sit seuera correptione a male agendo deterreantur: multos in deliberationibus capiendis magna torquet ambiguitas, certe humanum est, prudenti eos consilio adiuuare: mœrẽt corda aliorum pluribus præsentis vitæ molestijs exagitata, quis solamen nisi omnino ferreus ferre recuset? Pium est iniurias & contumelias illatas humiliter ferre, pium & proximorum quosq. defectus & actiones, quibus offendimur, mansuete tolerare. Christianæ deniq. misericordiæ opus est, defunctorum qui ex hac uita pœnarum nexibus obligati exierunt misericordia commoueri: nec minus pro omnibus in quacumq. neceßitate constitutis preces ad Deum effundere. Hæc opera Christus nobis & verbo & exemplo commendauit: hæc per vestigia diui, diuæq. omnes progreßi sunt, hoc iter est ad æternam vitam, quod nobis quoq. terendum est, si Christi, Sanctorumq. eius gloriæ, & felicitatis participes fieri optamus.



IGNORANTES DOCERE

I:



A



·B·C·

D

E

F

G

H

I

K

L

M



QVI·DOCTI·FVERINT
FVLGEBV̄T·QVASI
SPLENDOR
FIRMAMENTI·ET
QVI·AD
IVSTITIAM
ERVDIVNT·MVLTOS
QVASI·STELLAE
IN
PERPETVAS
AETERNITATES
DANIELIS
CAPITE·XII·





PRAEDICA·VERBVM·INSTA·OPPORTVNE·IMPORTVNE
ARGVE·OBSECRA·INCREPA·IN·OMNI
PATIENTIA·ET·DOCTRINA·EPIST:II
AD·TIMOTHEVM·CAPITE·IV·

N

O

AD PRIMAM ICONEM NOTAE.



A Accedens Iesus, locutus est eis (idest discipulis suis) dicens. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Docentes eos seruare omnia quęcunq. mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq. ad consummationem sæculi. *Matth. 28.*

B Chorus pastorum & Doctorum. *1. Petr. 5.*

C Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi -- vt iam non simus paruuli fluctuãtes, & circumferamur omni vento doctrinę. *Ephes. 4.*

D Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. *Psal. 18.*

E Venit vox de nube dicens: Hic est filius meus carissimus, ipsum audite. *Marc. 9.*

F Euangelizo vobis gaudium magnum. *Luc. 2.*

G Vox clamantis in deserto, parate viam Domini: rectas facite semitas eius. Lege de prædicatione Apostolorum, Actorum cap. 2. 4. 10. 13. 14. 16. 18. 19. 20. 26. vbi Paulus coram Festo loquitur. *Marc. 1. Matth. 3. Luc. 3.*

H Accipe librum, & deuora illum. In ore tuo erit dulce tanquam mel. *Apoc. 10.*

I Docebat de nauicula turbas. *Luc. 5.*

K Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos. & post hæc mittam eis venatores. *Hier. 16.*

L Aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu. *Matth. 5.*

M Exijt qui seminat seminare semen suum secus viam, super petram, inter spinas, in terram bonam. *Luc. 8.*

N Multifariam, multisq. modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum. *Hebr. 1.*

O Chorus Patriarcharum; quorum vitas descriptas leges apud D. Ambrosium. *In vitis Patriarcharũ.*



IGNAROS ERVDIENDOS ESSE

EXPLICATIO I.



GNORANTIA vere errorum omnium mater est, ac prima merito inter spirituales miserias collocatur: cui ne humanum genus subijceretur; prouiderat iam inde ab initio optimus parens Deus, cum inter plurima dona primis nostris progenitoribus impertita, singularem eis rerum humanarum, ac diuinarum cognitionem tribuisset. Sed simulatque peccato se atque omnem posteritatem perdiderunt, in calamitosum hunc, & errori atq. ignorationi subiectum statum delapsi sumus. Remanserat nihilominus post peccatum in Adamo multarum rerum scientia, quæ ei diuinitus fuerat infusa; quam & ipse filios docere cœpit, & ex his, prout quisq. senior erat, quasi per manus posteris tradere solebat. Crescente vero humana progenie, & in diuersas terras dispersa, cum alij alijs curis auocarentur, paulatim auita illa de Deo in primis diuinisq. rebus scientia obsolescebat. Hinc varius ac prope infinitus idolorum cultus irrepsit; cum homines verum Deum nō agnoscentes, seu Solem, seu Lunam, seu sidera, seu alias vel abiectissimas creaturas, seu deniq., quod vt plurimum accidit, homines, a quibus beneficio aliquo affecti erant, diuinis honoribus prosequerentur. Crassissima hęc erat ignorantiæ nox, qua humanum genus longe lateq. obruebatur.

Non deerat tamen omnipotentis Dei misericordia, qui omnibus tanta caligine oppressis lucem naturæ, rationisq. præferret. Nam certus ac perennis ordo rerum, quæ in cælo, queq. in terra spectātur, attenta cogitatione perpensus, vnum aliquem tātæ molis auctorem, totiusq. gubernationis præsidem indicabat. Ex hoc fonte omnis gentilium philosophia orta est, ita vt multi eorū ea ingenij sui monimentis dogmata reliquerint, quæ ob maximam, quam cum christiana religione affinitatem habent, summa nos afficiant admiratione. Nimirum verissime Paulus Apostolus dicebat. Inuisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. *Rom. 1.*

Verum cum hæc nō omnino perfecta lux esset, eadēq. inualescente idololatrarū scelere magis magisq. toto orbe obscuraretur, selegit sibi Deus populum Hebræorum, apud quem præcipuam voluit numinis, maiestatisq. suæ cognitionem residere. Vnde Dauid; Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Huic populo Mosem prophetā excitauit, per quem cum innumera alia ei beneficia tribuit, tum vt in vera religione rebusq. ad salutem necessariis erudiretur, effecit. Sed, heu, abijt hæc quoq. natio in communem ceterarum gentium errorem, cum idolorum cultu non semel recepto, tum diuinis legibus per summum scelus conculcatis. Quo factum est, vt iam totus mundus in tenebris, & in vmbra mortis, quemadmodum Zacharias ait, sederet. *Psal. 75.* *Deut. 32.* *Lucæ 1.*

Ecce

Ecce interim non oblitus Deus miserationum suarum, in proprio filio suo nos
opus hoc misericordiæ docere voluit, quod ad ignorantiam ex hominum mentibus
tollendam pertinet. Id quod antea per prophetas prædictum fuerat venturum Do- *Esa. 49.*
ctorem iustitiæ in lucem gentium, vt esset salus vsq. ad extremum terræ, vnigeni-
tum suum filium, de cælo misit: qui ita hoc opus expleuit, vt quoad ab hominibus
visus est, nullum locum, nullam occasionem, nullum modum reliquerit sacræ suæ
doctrinæ propagandæ. Docuit cælestis magister CHRISTVS in templis, docuit etiam *Lucæ 2.*
intra priuatas ædes; quinetiam per vicos, & plateas, atq. in locis campestribus, & in *Io. 8. & 11.*
monte & in solitudine, nunquam diuinę suę legis oracula edere cessauit, & diuiti, & *Lucæ 10.*
inopi ęque se benignũ Doctorem præbuit: erudiit publicanos, non despexit mere- *Matth. 5.*
trices; missum se dixit ad oues Israel; Samaritanæ tamen aquam salutarẽ eloquij sui *Marc. 8.*
non denegauit. Omne denique genus hominum docuit legem vitæ, ac disciplinæ. *Matth. 9.*
Ibat de ciuitate in ciuitatem regionem Samariæ, ac Iudęæ vniuersam perlustrans. *Ioan. 12.* *Matth. 15.*
Quo in opere in extremæ vitæ suæ annis nunquam est defatigatus. Quin multa mor- *Ioan. 4.*
ti proximus discipulis documenta saluberrima reliquit. Quid post mortem & glo- *Matth. 8.*
riosissimam resurrectionem suam? Ab inferis cum extitisset, non cessauit per mul- *Marc. 14.*
tos dies eos confirmare in his quæ in lege Moysi & prophetis prædicta erant; ape- *Lucæ 24.*
riens illis sensum, vt intelligerent scripturas. Ac tandem missis de cælo flammeis *Act. 1.*
linguis, repleuit eos spiritu sapientiæ, vt non sibi met ipsis tantum docti essent; sed
illud etiam explere possent diuinum mandatum. Ite, docete omnes gentes baptizan-
tes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quod Apostoli ita præstiterunt *Matth. 28.*
egregie, vt nihil aliud haberent propositum, nisi ignorantiam de mundo tollere, ido-
lorum cultum euertere, atq. in primis in hominum animis cognitionem veritatis
inducere. Quorum vestigia, nouo orbe reperto, nouo exemplo sunt secuti in Indiã
plurimi viri religiosi, qui nullum laborem prætermiserunt, vt gentes à nobis non
modo cælo, sed vita remotissimas, quasi agrestes feras mansuefactas, ad pietatem in-
formarent.

Ac licet tantum, diuina gratia effectum sit, vt ab ortu solis vsq. ad occasum lauda- *Psal. 112.*
bile nomen domini sit disseminatum; est tamen ita misera multorum conditio, vt ne
lucem quidem pręsentis solis aspiciant. Norunt hoc Episcopi, qui diœceses suas in-
uisere, pagosq. & villas, & externa oppida lustrare solent, qui tantam in rustica ple-
be cęcitatem sępenumero repererunt, vt omnino salutis iter ignorare videantur.
Videas homines pecudibus similiores quàm hominibus, qui quasi idem sit interi-
tus hominum, ac iumentorum, nec cælum, nec inferos, nec animos immortales, &
ad Dei imaginem creatos agnoscãt, Euangelicæ legis sacramenta, & mysteria ne su-
spicione quidem attingant: Quid fabulas anicularum, & simplicium mulierum deli-
ramenta referam? Quid neglectam à parentibus filiorum disciplinam, & teneræ ęta-
tis institutionem? Qua relicta necesse est ijs firmamentis destituamur, quibus coę- *Ephes. 2.*
dificamur in habitaculum Dei in Spiritu sancto; ac longissime aberremus a fine,
quem nobis idem Deus voluit esse propositum.

Huc spectabant impij conatus Iuliani Apostatę, qui, vt est in Ecclesiastica histo- *Niceph. lib.*
ria; lege cauit contra Christianos, ne scholas publicas frequentarent. Graue certe *10. hist. ec-*
malum ignorantia, quæ verum a falso non discernit, ac viam saluti præcludit. Præ- *cle. c. 25.*
clarum contra bonum, scientia, per quam disiectis animo tenebris, aditum nobis
ad cælestem felicitatem aperimus. Quare iure optimo, qui in hoc opere laborant, vt
dicebat Dionysius, Deo ipsi cooperantur. Siquidem præstant, vt quam Deus homi- *Dionysius.*
nibus paratam habet gratiam, ea ab ijs cognita recipiatur.

Doctores igitur merito præmium manet: de quo Daniel, qui docti fuerint, fulge- *Dan. 12.*
bunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in
perpetuas æternitates. Nec sine maxima causa S. Bernardus ait: Non minus pium
esse docere animum scientiam, quam præbere escam corpori. Est quidem hoc præ-

cipue munus prelatorum,& eorum,qui ceterorum curam gerunt. De quibus requisiturus est Dominus animas ipsorum gubernationi subiectas; vt minime dubium sit,quin ipsos maxime deceat dare operam,vt doctrina excellant, ea præsertim,quæ ad curandas animas pertinet. Itaq. merito Tridentina Synodus cum ecclesiæ vtilitatem maxime procuraret,seminaria instituit, in quibus Christiana iuuentus à teneris annis excoleretur, vt esset locus vnde viri eligerentur ad ceteros docendos idonei. Gregorius vero XIII. non minora animo complexus, ad aliarum etiam gentium errores, quos diabolica astutia disseminauit, Græcis, Germanis, Anglis, aliisq. nationibus collegia aperuit, vt ex ijs insignes operarij haberentur, qui orthodoxam fidem prædicarent,eamq. ab hæreticorum calumniis vel proprio sanguine tuerentur.

Trid. Concilium sess. 23. cap. 18. de refor.

Nec vero prætereunda silentio est IACOBI SABELLI CARDINALIS amplissimi, & summi Pont. Vicarij prouidentia, qui Rectoribus ecclesiarum Vrbis sub suo regimine constitutis locum vbi conuenirent attribuit ad exercitationes, disputationesq. habendas,in quibus de humanę vitę officiis, quæ conscientiæ casus appellantur pie simul doctęq. differitur. Ex quo cum ipsi Rectores, tum populus, quem instituere,atq. in viam salutis dirigere tenentur, vberrimum fructum reportat.

Sub eiusdem Cardinalis patrocinio societas nuperrime erecta est Doctrinæ Christianæ,cui dantes nomina viri pij,ad pueros primis nostrę religionis rudimentis instruendos diligentem operam nauant. Nec vero solum in Vrbe maximus ad eos tenerę ętatis in ecclesijs fit concursus:sed etiam per vicos,& per oppida circumuicina vagantur,omne genus hominum ea docentes, quæ Christianum scire par est. Hęc ad quatuor capita D. Augustinus reuocauit symbolum, sacramenta, decalogum, dominicam orationem,quę in catechismo ex auctoritate Summi Pont. edito comprehensa habentur:ad quem librum,&ad ceteros,qui sub Christianę doctrinę nomine circumferuntur,eorum vberiorem explicationem quęrentes reijcimus.

Lege D. Augustinum in ser. post Pascha qui incipit, Hodiernus dies

Pręclara hęc puerilis ętatis erudiendę consuetudo multis occasionem dabit, vt hoc consilium CHRISTI explere possint. Patent enim Ecclesiæ:confluit multitudo paruulorum panem petentium:videndum est,ne desint qui frangant eis. Doceāt in gymnasijs alij occulta rerum principia,varias naturę vicissitudines, siderum, cęlorumq. cursus,ac cetera huius generis, in quibus plurimum temporis curiose magis quàm vtiliter consumitur. Tu, diuino CHRISTI consilio recepto,proximi tui salutem docendo procura, eamq. ab eo ignorantiam fugare nitere, propter quam ei ad cęlestem beatitudinem aditus intercludi potest.

Nec vero studium tuum retardetur,quod leuiora, atq. humiliora fidei nostrę rudimenta profani homines iudicant:nam si cęlestis magister ęterniq. Patris sapientia CHRISTVS ipse humanam imbecillitatem assumere dignatus est, vt nos hęc ipsa salutis nostrę pręcepta edoceret;quis tanta erit superbia inflatus, aut diuinę charitatis immemor,vt pudeat eam fieri paruulum in medio fratrum suorum,& ea pręstare,quorum ipse Dei filius nobis carissimum exemplum prębuit? Pari superbię genere caueant parentes ne & ipsi diuinam iracundiam prouocent, qui cum filios ad choreas,nuptias,& ludos deducant, ad CHRISTI scholam eosdem mittere quasi ignominię loco ducunt. Vere in illos ea CHRISTI sentētia profertur:Qui me erubuerit coram hominibus,erubescam & ego eum coram patre meo.


Luc. 9.

Felices autem,qui ita erunt animati, vt lęte, atq. alacriter hanc proximis misericordiam exhibeant. Magna est in infima plebe ignorantia, magna in rusticis hominibus,qui non modo altiora mysteria religionis nostrę cognita non habent; sed ne prima quidem salutis elementa suspicantur. Hi vt edoceātur, non sunt maria traijcienda,nec longa terrarum spatia superanda;sed passim tales obuios habemus, passim homines per ignorātiam errare cernimus,quibus non opem ferre, cum possis, magna certe & christiano homine indigna immanitas est.


Ne te pigeat igitur in eis instituendis tempus insumere; non pudeat illa inculcare, quorum vel minima philosophi superbissimi nescierunt. Prudentiam quam à Paulo apostolo didicimus, imitemur, qui alijs quasi modo genitis infantibus lac, aliis quasi adultioribus solidiorem cibum prębebat. Atq. ita conemur eius pręmij partem aliquam arripere, de qua CHRISTVS in Euãgelio pollicitus est fore, vt Qui fecerit, & docuerit, magnus vocetur in regno cęlorum.

1. Cor. 3. *1. Pet. 2.* *Matth. 5.*




PECCANTES CORRIGERE
II
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
MELIVS·EST·A SAPIENTE·CORRIPI QVAM STVLTORVM ADVLATIONE DECIPI
ECCLESIAST: CAPITE VII
ARGVE·OBSECRA INCREPA·IN·OMNI PATIENTIA ET DOCTRINA
EPISTOLA II·AD TIMOTHEVM CAPITE IV·
PECCANTES·CORAM·OMNIBVS·ARGVE·VT·ET CAETERI·TIMOREM·HABEANT·EPIST: I·AD·TIMOTHEV·CAPITE ·V·

AD SECVNDAM ICONEM NOTAE.



A Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. *Matth.* 7.

B Sedit Moses vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi a mane vsq. ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius: non bonam, inquit, rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est. Vltra vires tuas est negotium: solus illud non poteris sustinere, sed audi verba mea. *Exod.* 18.

C Vnus blasphemabat. Respondens autem alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum? *Lucæ* 23.

D Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ. *Matth.* 18.

E Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem Deus despexerit. *Eccli.* 7.

F Exhortare, & argue cum omni imperio. *Tit.* 2.

G Priusquam interroges, ne vituperes quemquam: & cum interrogaueris, corripe iuste. *Eccli.* 11.

H Non amat pestilens eum qui se corripit. *Prou.* 15.

I Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *Matth.* 18.

K Facta est rixa inter pastores gregum. Dixit ergo Abraham ad Lot. Ne, quæso, sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: Fratres enim sumus. *Gen.* 13.

L Dixit Nathan ad Dauid -- Hæc dicit Dominus -- Quare contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? 2. *Reg.* 12.



PECCANTES CORRIGENDOS ESSE

EXPLICATIO II.



Vperivs opus misericordiæ ad intellectualem animæ partem excolendam referebatur, quæ sicut ignorantia obtenebratur, ita doctrina illustratur, altera animæ pars dignitate non inferior est voluntas: quæ, quoniam peccati labe inficitur, curandum est, vt correptione adhibita, velut aurum igne, purgetur: cuius operis exercendi vtinam non tam copiosa esset materia. Inualescente enim vbiq. hominum licentia, peccatisq. grassantibus, adiuncta humanæ fragilitate naturæ, quis erit qui se correptione non indignum
1. Cor. 4. affirmare possit? Nam si septies in die peccat iustus, & D. Paulus, qui supra tertium cælum elatus fuerat, inquit, Et si nihil mihi conscius sum, non in hoc iustificatus sum; quid de ceteris existimandũ est, qui nulla tacti cogitatione salutis suæ, ac quasi in reprobum sensum traditi, præcipites ad omne genus malorum feruntur? Vere
Esa. 1. apud Esaiam legimus, Omne caput languens, & omne cor merens. Et Regius Vates
Psal. 52. exclamat; Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, nõ est qui faciat bonum, non est vsq. ad vnum. Quo igitur maior est seges peccatorum, eo diligentius ad ea resecanda gladius est correptionis adhibendus.

Tit. 2. Pertinet autem munus corrigendi in primis ad eos, quibus ceterorum cura mandata est, quod correctio quasi imperantis est. Vnde D. Paulus ad eos, qui præsunt dicebat Exhortare, & argue cum omni imperio. Ideoq. in arca fœderis, quæ typus est sacerdotij, pij sane doctores, & graues interpretantur omnia illa conclusa fuisse, tabulas legis ad scientiam; manna ad suauem adhortationem, virgam ad seueram, de qua agimus correctionem designandã. Similis illa est allegoria, quæ in basi templi a Salomone extructi consideratur. Hic Cherubim exculpserat, quo scientia, bouem quo mansuetudo, leonem, quo uis, & acrimonia in corrigendo exprimitur. Et hæc quidem correctio ad gubernatores pertinens inter iustitiæ actus adnumeratur.

Est autem altera, quæ ex charitate tanquam ex proprio fonte deriuatur. Priorem illam qui præsunt sibi proprie vindicant: alteram vero Christvs communem omnibus esse voluit. Illa peccatum respicit, quatenus cõmune bonum perturbat: hæc peccatũ respicit, quatenus nocet peccanti. Illa sæpe formidine pœnæ subditos ad vitæ compellit emendationem: hæc eosdem ad scelera detestanda virtutis amore allicit. Illa ad aliorum terrorem, & exemplum grauis & molesta est: hæc ad eius, qui corripitur salutem, lenis, & iucunda. Illam si qui effugiant, excusatione se dignos iudicant: hanc nulla causa est quamobrem quis toto animo amplecti non debeat. Illa palam inflicta rubore, atq. etiam dolore correctos afficit: hæc solo Deo teste peracta spem diuinæ gratiæ recuperandę animum mirum in modum recreat. Illa

demum inducta maxime est, vt quidam putant, quod dignitas & existimatio superioris in quem peccatur publico supplicio recuperari videatur, ne prętermissa animaduersio contemptum regentis pariat; hac recepta, Deo honorem restituimus, quem, quantum in nobis fuerat, ademeramus.

Agelli. lib. 6. c. 14. & Taurus in commentar. Plato. tres causas afferũt cur peccata publice corrigantur.

Opus igitur corrigẽdi, quod est charitatis, & ad quod omnes a CHRISTO inuitamur, in primis vt persequamur, dici non potest quam id vtile sit, & quam suaues sui fructus pariat, cum his, qui corrigunt, tum his, qui correctionem ęquis animis amplexantur. Is enim, qui correctionem alacriter excipit, vberrimos fructus comparare potest; eodem tempore gratiam sibi a Deo conciliat; non modo prętерita peccata euellit, sed, si quę forte machinabatur, reprimit; cauet certe, cum non amplius peccandi securitas audaciam alat, testimonio conscientię, ac fidelis amici oratione retardatus. Itaq. si non omnino vitia excinduntur, inhibentur certe, & intermittuntur, ac interdum spes est, vt assidua adhortatione penitus deleantur. Quod si obstinatus sit, eius certe ad te fructus reuertetur. Qui autem corrigit sibi ipsi non id faciendum, de quo alium admonet, legem imponit, ne ipsi iure obijci possit; frater eijce primum trabem de oculo tuo Deinde excitatur, & inflammatur charitas, cum alienam salutem procuret, & animam fratris lucretur: tum gratiam ab angelis init, dęmone de consilio suo deturbato. Plurimum deniq. apud Deum meretur, dum se honoris ipsius acerrimum defensorem ostendit. Merito itaq. vtrumq. D. Iacobus adhortabatur illis verbis. Fratres mei, inquit, si quis errauerit ex vobis a veritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem de errore viæ, saluabit animam eius a morte, & operit multitudinem peccatorum. *Iac. 5.*

Quod si aliquis dicat, quid ad me pertinet hunc vel illum corrigere, nũquid ego, vt dicebat Cain, custos fratris mei sum? satis mihi sit, si animam meam saluauero. At id ipsum tibi ad salutem comparandam imponitur, vt alterius salutem correctione procures. Nam vt Salomon ait, Vnicuiq. mandauit Deus de proximo suo. Ac si Dei filius ad nos corrigendos homo inter homines versatus est, ac sanguinem preciosissimum pro omnibus dedit, quid hominem non hominis causa facere par est? Quod si, vt in sacra scriptura legimus, vnius peccato ira Dei super omnem populum descendit, polluiturq. ex vno peccatore populus, non secus ac ex oue morbida vniuersus grex inficitur, merito timere debemus, ne ceterorum peccata nobis etiam obsint. *Gen. 4. Eccli. 17.*

Modus autem in primis, atq. prudentia in corrigendo adhibenda est; ac pręcipue illud caput tenendum erit, vt peccantem solum ac secreto omni pietatis officio obsecremus, vt a viis peccatorum recedat, cęlestia pręmia, inferorum pęnas secum meditetur, animę deniq. suę prospiciat, illud CHRISTI in primis proponendo, Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimẽtum patiatur? Quibus peractis, si ille ostenderit pænitentiam, lucrum maximum, sin minus, Deus non deerit tibi pro tam prompta voluntate. In quo pietatis officio illa etiam regula seruanda erit, quam primam voluit esse in corrigendo D. Hieronymus, cum diceret, Nõ statim peccantem prodendum esse, ne si semel pudorem, aut verecundiam perdiderit, & ipse in peccando obduret; ac tu proditor potius, quam corrector fraterni criminis videare. *Matth. 16.*

Interea cauendum, ne quid intempestiue fiat, aut præter decorum: aliter enim cum publicis peccatoribus, aliter cum secretis: aliter cum æqualibus, aliter cum maioribus, aliter cum iracundis, aliter cum mitibus, aliter cum doctis, aliter cum ignaris, aliter cum rusticis, aliter cum nobilibus, aliter in leuioribus peccatis, aliter in grauioribus, aliter in fortuitis, aliter in quæsitis erroribus, aliter in foro, aliter intra domesticos parietes, aliter cum familiaribus, aliter cum exteris, & ignotis agendũ erit. Quorum omnium regulas tradere longissimum esset, sed prudentiæ cuiusq. relinquitur. Huius exemplum præclarum nos docuit Nathan propheta. *2. Reg. 12.*

Dauid Rex grauiter peccauerat, & adulterium, nece innocentis cumularat. Ad quem Nathan propheta, quasi iudicium alterius rei accepturus accessit. Eiusdem, inquit, Vrbis duo erant homines, alter ditissimus gregum, armentorumq. cōpia affluebat; alter pauperrimus nihil habebat omnino præter ouem vnam, eamq. tenellam, quam sibi emerat, nutrieratq. eam quasi filiæ loco habens. Accidit vt peregrinus quidam diuitem conueniret, cui vt conuiuium pararet, nihil de armentis, aut gregibus suis attingens, aut imminuens, ouem, quam pauper diligentissime apud se asseruabat, in conuiuię epulis apposuit. Quærere Nathan cogitabat quid de hoc Regi videretur, cum ille non expectans interrogata, excandescens subito exclamauit. Viuit dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc: tunc Nathan opportunissima corrigendi occasione oblata: tu Rex, inquit, ille es: Quamobrem hæc ait Dominus Deus Israel; ego vnxi te in Regem super Israel, & ego defendi te a Saulis insidiis; qui dedi tibi domum Domini tui, & vxores, & si parua sunt hæc, addam tibi multo maiora: quamobrem igitur contempsisti verbum Domini, & scelera hæc ausus es in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & eius vxorem in vxorem tuam accepisti. Hæc atq. alia dixerat Nathan, cum Dauid correctione humiliter recepta, peccaui, inquit, Domine. Ac Nathan subdidit, Dominus quoq. transtulit peccatum tuum; non morieris.

Vides quam alte sit exorsus? quam leniter, quam prudenter parabolam effinxerit, qua ita in animum Dauidis sese insinuauit, vt quasi in alium sententiam ferens se ipsum cōdemnarit? Præclare Tertullianus leuioribus primum remedijs, tum demum, chirurgorum more, cauterium adhibendum esse voluit. Nunquam vero de proximorum salute desperandum est. Quis enim ex seminis corruptione tantam segetem, aut ex prodigi illius bonorum suorum omnium deprædatione tantam cōuersionem sperasset? An non dicit CHRISTVS, non veni vocare iustos, sed peccatores ad pænitentiam? Itaq. horum salus correctione quærenda erit. Neq. adeo quorundam, qui longe a salute aberrant, humanis cupiditatibus inuoluti, consuetudinem detrectare, aut amicitiam odisse debemus, fieri enim potest vt eos consuetudine nostra iuuemus. Ad hunc finem CHRISTVS inter vulgi obtrectatores cum publicanis, ac fœneratoribus, instar medici inter ægrotos versantis epulabatur.

Tertul. lib. de pæni.

Matth. 9.

Matth. 9.

Non erit alienum quiddam hic exponere, quod Eusebius ex libro quodam Clementis Alexandrini se desumpsisse scribit. Ioannes cum ex insula Pathmos fuisset reuocatus, rogabatur, vt proximas Ecclesias inuiseret: quo in munere visitandi adolescentem optimæ, vt videbatur, spei conspicatus, commendauit eius loci Pontifici, qui omnem curam, ac studium in eius institutione adhibuit. Sed progressu temporis postquam adolescentem erudierat, ac salutari aqua expiauerat, indulgentius paulo habere cœpit; quod ille vt aduertit, voluptatum illecebris irretitus, nullum erat facinus tantum, quod non suscipere, ac perficere auderet: quin etiam ita se egregium præstitit in hac viuendi licentia, vt statim magistros omnes longo interuallo superauerit.

Legēdus est Euseb. lib. 3 hist. Eccle. c. 23. vbi citat Clemen. Alexandrinum & Irenæum lib. 2. aduersus hæreses.

Vide quo prolapsa sit indulgentia illa? iuuenis autem se antesignanum siue prædonum, siue sicariorum quorundam professus, in agro cum aliis versabatur. Accidit vt rursus Ioannes quorundam precibus illam eandem regionem inuiseret: ad quam vt venit, adiit in primis Pōtificem; quod apud ipsum deposuisset, repetit. Hic senex illachrymari; perditum iuuenem, iamq. sicariorum ducem factum, montem quendam occupasse narrat. Qua re commotus Apostolus, equum subito conscendit: vt venit ad eum locum, in quo perditus adolescens agebat, eum prædones retinuerūt: Itaq. longe prospiciens Dux veniebat armatus, ad certam vt sperabat prædam. Verum cominus agnito patre sanctissimo, perculsus animo diffugit; Apostolus subditis equo calcaribus, ita fugientem insequebatur. Quid fugis conspectum patris fili, ac inermem senem iuuenis armatus? Restitit tandem victus adolescens, ac vultu de-

misso primum arma abijcere, deinde collacrymari, ad pedes Apostoli prouolui, ac veniam admissi sceleris petere, Apostolus dexteram, quam ille cædis consciam occultabat deosculatus, quasi expiata pænitentia esset, ad Ecclesiã reuocat, vbi crebris ieiunijs, ac precibus vna susceptis, veniam a Domino precatur: nec ante Apostolus destitit, quam eum omnino pænitentia mutatum, atq. correctum, ecclesiæ præfecit.

Quod exemplum quem non commoueat? Ad fratris igitur salutem nullum locũ relinquere, nullam prætermittere occasionẽ debemus, vt dicere possimus nos fratrem fuisse lucratos. In quo in primis laudandi sunt, qui ex altiori loco verbũ Domini populo proponentes, attendunt illis verbis Apostoli: Argue, obsecra, increpa, cũ omni patientia ac doctrina. Qui non populi prurientis auribus plausum secuti, animorum motus pręcipue procurant, & lacrymas vel ab inuitis dicendo eliciunt: potentes in doctrina sua exhortari, & eos qui contradicunt redarguere. Quæ duæ Euangelicæ prædicationis partes præcipue esse videntur: in quibus strenuam nauarunt operam & antiqui, & noui testamenti Patres, ac Prophetæ; quorum ille maximus Ioannes Baptista in ipso ingressu prædicationis suę cœpit arguere mundum de peccato, & de iudicio, & de iustitia. Cuius quidem partis, quæ in reprehensione posita est, id maius studium erit, vt scilicet, impiis religionẽ, tenacibus liberalitatẽ, libidinosis continentiam, sacrilegis sanctitatẽ, inhumanis misericordiam, ceterisq. vitiis contrarias virtutes opponat; Ne de ipsis illud dicatur; Prophetę tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperuerunt tibi iniquitatem tuam, vt te ad pęnitentiam prouocarent.

2.Timo. 4.

Luc. 3.

Thren. 2.

Hic mos corrigendi non sine maxima vtilitate inter amicos exercetur, siquidẽ alter alteri, monendo maxime prodest. Itaq. fugiendi adulatores, in quos, vt ille dicebat, deterius est, quam in coruos incidere. Illi enim mortuorum cadauera: hi animas deuorant viuorum. Qui vero in peccato deprehensi, admonentur, & corriguntur ab aliis, ęquo animo omnia, ac beneficij loco accipere debent. Nam, vt dicebat Seneca, Moneberis libenter, si reprehenderis patienter. Si merito obiurgat te aliquis, scito quia profuit: si immerito, scito quia prodesse voluit. Non acerba, sed blanda timeas verba: nullum enim beneficium maius homini dari potest, quam id quod ad salutem recuperandam pertinet, quale est hoc accipere. Vere Salomon, viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus: & rursus Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit increpationibus glorificabitur.

Stobæus in apophteg. c. de adulatione id tribuit Antistheni.

Prou. 29.

Prou. 13.



DVBITANTIBVS RECTE CONSVLERE

III




















QVI
ME·AVDIEBANT·EXPECTABANT·SENTENTIAM·ET
INTENTI·TACEBANT·AD·CONSILIVM
MEVM·IOB·CAPITE·XXIX·



AD TERTIAM ICONEM NOTAE.



A Eduxerunt eum, & posuerunt extra ciuitatem, ibiq. locuti sunt ad eum dicẽtes: Salua animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regionem: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. *Gen. 19.*

B Cumq. abijsset populus, inijt consilium Rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viueret, & ait: Quod datis mihi consilium, vt respondeam populo huic? Qui dixerunt ei: si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusq. fueris ad eos verba benigna, erunt tibi serui cunctis diebus. *3. Reg. 12.*

C Erit salus, vbi multa consilia sunt. *Prou. 24.*

D Et nunc itaq. dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne forte & Deo repugnare videamini. *Act. 5.*

E Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælum, & veni sequere me. *Matth. 19.*

F Dixit autem Hieremias ad Sedechiam: Si annunciauero tibi, nunquid non interficies me? &, si consilium dedero tibi, non me audies. Iurauit ergo Rex -- & dixit Hieremias -- si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igne, & saluus eris tu, & domus tua. *Hier. 38.*

G Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: Forsitan ignoscet delictis tuis. *Dan. 4.*



DVBITANTIBVS CONSILIVM DANDVM ESSE

EXPLICATIO III.



RAETER ignorantiam, atq. peccatum, alia non leuis miseria premit genus humanum; quod, cum non intuendo vt angeli, sed ratiocinando intelligamus, sæpe in medio ratiocinationis cursu in varias dubitationes, tanquam in scopulos, incidimus, quæ nos fluctuantes, atq. ancipites reddunt. Est hæc ingeniorum nostrorum infirmitas, vt neq. statim in ijs, quorum veritatem intima contemplatione scrutamur, scopum attingere possimus; & in externis actionibus sæpe ita incerti feramur, vt vtri parti adhærere vtilius sit, omnino nesciamus. Contemplatiuam igitur, actiuamq. vitam vna dubitationis procella perturbat; sed non vno eodemq. modo, aut pari exitu semper. Dubitant philosophi quot rerum naturalium initia sint, quid motus, quid tempus, quid locus sit inter sese disquirũt, nec cæli spatia, aut siderum interualla, aut Lunæ Solisq. cursus ita adhuc metati sunt, vt consentire potuerint. Molesta hæc quidem ambigentium
Eccli.1. pugna, & in qua multus labor impenditur, vt non sine causa Salomon cum diceret, Proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiũt sub Sole, statim adiunxerit: hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum.

Sed hæc tamen, quæ vni speculationi subiecta sunt, solamq. pro fine scientiam habent, non sunt eius generis, vt siue cognita siue ignorata aliquod animæ, corporiue detrimentum afferant; nec in his, quæ occurrunt dubia, consilio, sed doctrina explicantur. Alia sunt actiuæ vitę propria, de quibus accidit, vt sępe numero dubitemus, quorumq. dubitatio, aut animarum saluti, aut exterioris vitę commodis noxia, opportuno est consilio propulsanda. Cur autem philosophicę, ceteręq. aliarum doctrinarum dubitationes sub consilium non cadant, facile quis animaduertet, si vim consilij, & earum rerum, quę in scientijs agitantur naturam considerabit. Consilium enim damus, aut petimus, vel ob vitandum malum, vel ob consequendum bonum, deq. his consulimus, quę opera nostra aliter atq. aliter fieri possunt. Scientia autem ea tractat, quę aut immutabilia sunt, vt vitari nequeant, aut ita motui subiecta, vt vniformiter semper moueantur, aut si difformem motum habent, non in nostra vllo modo, sed in naturę sunt potestate. Quare, vt horum, quę diximus, exempla attingamus, nec si diameter commensurabilis est costę consultatur, quia hoc incommutabile prorsus est; nec de ortu, atq. occasu siderum, quia hoc vniformiter semper fit; nec de imbribus aut ventis, quia hęc naturalia sunt, nec pendent ex operibus nostris.

In his igitur,quę dubitationes accidunt,relinquamus philosophis ardenti studio, ac disputatione discutiendas; nos ad ea dubia ex animis proximi repellenda conuertamur,quæ actiuę vitæ sunt, quibusq. insidentibus periculum est, ne ille damni aliquid vel corporalis, vel spiritualis patiatur. Verum hę quoq. dubitationes duorum sunt generum:nam vel circa finem,vel circa media,quæ ad finem ducunt, versantur: inter quæ illud discrimen est, quod qui de fine dubitat, errat; nec consilio, sed doctrina sanandus est: ad quod primo spiritualis misericordiæ opere sumus incitati:qui vero de mediis dubitat,nec scit qua via ad optatum finem tendat,hic ne forte oberrans graui aliquo infortunio afficiatur, sagaci, & prudenti consilio est dirigendus. Consilium enim, vt inquit philosophus, non est de fine; sed de his quæ sunt ad finem. Cum igitur homo vnum summum atq. vltimum finem habeat, qui est vita æterna, fines tamen minores, ac speciales diuersos sibi pro varietate actionum, aut negociorum proponere solet. *In Ethic. Eutid. l. 2.*

Vtrumq. genus finium suis mediis indiget: in quorum electione dubitationes sæpissime oriuntur, ita plerunq. difficiles, vt graui cura torqueant animos dubitantium; dum definire nesciunt, sit ne hoc vel illud potius agendum: ita perniciosæ nonnunquam, vt ex eis non prudenter explicatis maxima & animæ, & corporis detrimenta consequantur. Atq. vt ab eo, quod maioris momenti est, incipiamus, in his, quæ ad vitam æternam, atque ad animæ salutem pertinent, dubitanti consilium dare, quis dubitet, pietatis opus esse pulchrerrimum? Nam quo anima nobilior est corpore, quoq. cælestia bona maiora terrenis, hoc opera quibus animæ ad cælum iter paratur, præstantiora sunt illis, quæ in solo corpore conquiescunt. Quæ igitur sunt in quibus de animæ suæ salute laboranti dubitationes accidere possunt? Sane de his, quæ penitus determinata sunt, nemo dubitat. Ideoq. nec vtrum Deus adorandus, nec vtrum parentibus honor exhibendus, nec vtrum a furto, aut homicidio cauendum, quisquam, nisi aut demens, aut prorsus ignarus, dubitabit.

Sunt alia in spirituali negocio, quæ pluribus modis effici possunt, nec habent, certas & determinatas vias: in quibus id considerandum est, vt de illis viis, melior ac tutior eligatur. Exempla horum innumera tradi possent, rei intelligendæ causa; breuiter tamen vnum tantum proferemus. Diuina aliquis inspiratione tactus, & ad perennis gloriæ desiderium excitatus, mundo renunciare constituit, sanctæque religionis iugo colla summittere: hunc sibi tanquam certum scopum proponit; iam præteritorum oblitus est, fixaq. ac stabili intentione exiit de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, vnum ei modo dubium superest, in quo non solum, vt quendam finxit antiquitas in biuio positus hæret; sed innumerabiles vias respicit, bonas, ac laudandas, & sanctissimorum hominum tritas vestigijs: varios videt religiosorum ordines, diuersa instituta considerat. Ipse quod potissimum sequatur, ignorat. Accedit scelerum artifex, & bonorum dissuasor dæmon, qui mentem ad sanctum opus anhelantem variis illusionibus perturbat, eiq. vim dubitationis auget, tentans si fieri possit hominem vel à proposito boni operis auocare, vel ad id genus religiosi instituti compellere, in quo aut eum non perseueraturum, aut minus laudabilem vitam acturum existimet. Hic si prudentis hominis fidele consilium adsit, perpendet singularum familiarum statum, leges, labores, vigilias, pænitentiam, libertatem, occasiones, ceteraq. huius generis considerabit, & hæc cum eius natura diligenter conferet; ac, quamuis non sit apud Deum impossibile omne verbum, tamen ad illud maxime adhortabitur, vnde eum vberiorem animæ suæ fructum reportaturum existimabit. Quis hoc opere, quantum animæ proximi vtilitatis afferatur, non videt? Cuius vtilitatis afferendæ tam multiplex occasio est, quot sunt in vita humana actiones, in quibus se tartarei hostis astutia immiscere solet, vt contra salutem animarum nostrarum exitum habeant. Huius vero generis consilia tradere, quæ ad animæ salutem referuntur, religiosorum in primis hominum

sapientiæ conuenit, & eorum præcipuum munus est, qui animarum gubernationi inuigilant. Quos ideo oportet & scientia, & prudentia esse instructos, vt illud expleant possint; Labia sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.

Malach. 2.

Sed cum, vti diximus, in rebus quoq. temporalibus plurima accidant, ex quibus grauia damna, atq. infortunia timentur, erit Christianæ pietatis dubitantem proximum fido consilio iuuare. Eorum tamen maxime in hoc opere pietas illustris esse potest, qui cum se causarum patronos profiteantur, ceterorum lites, ac negocia in manibus habent. Ex consilio enim perperam dato, & non recte explicata dubitatione, euersiones familiarum, oppressiones pauperum, litium æternitas, iniustę bonorum occupationes, graues inimicitiæ, frequentia homicidia, miserorum desperationes, integrarum deniq. ciuitatum, & Rerumpub. ruinę quandoq. consequũtur. Quare minime dubium est, quin eiusmodi homines, qui viris scientiæ nomine contra iustitiam abutuntur, talium malorum in se culpam contrahant, damnorumq. quæ alij patiuntur, restitutioni obligentur. Siquidem aut gratia allecti, aut territi potentia aut corrupti pecunia, iniquis consultationibus efficiunt, vt videatur bonum malum, & malum bonum; & paupere despecto, ditioribus patrocinentur. Quanto melius præclarum iustitiæ exemplar D. Iuo, quem legimus, egentium controuersias non modo sine vllo pretio esse complexum; sed etiam ad se facillimum illis aditum semper præbuisse; nec patienter tantum audire solitum; sed propriis opibus tenuiorum egestatem, viduarum, ac pupillorum solitudinem esse tutatum. Similem pietatem vetus in Vrbe Roma institutum æmulari videtur, quo Patres, qui in integerrimum Auditorum Rotæ, aut consistorialium Aduocatorum Collegium ascribuntur, iuramentum præstare solent, se pauperum in primis patrocinium suscepturos. Sed & Charitatis, & Pietatis in Vrbe congregationes hunc potissimum ob finem erectæ sunt, ne pauperibus consultores deessent, qui eis in causarum suarum dubitationibus opem afferrent.

Nunc vt ad id veniamus, quod commune est Christianorum omnium, quale consilium esse debeat, hoc est quibus conditionibus ornatum, breuiter explicabimus. In primis consilium maturum esse conuenit, hoc est, non præceps, ac temerarium. Quare Salomon ait, Qui festinus est pedibus, offendet. Nam cum ea res, quæ consilio indiget, pluribus modis fieri possit; quo minus habet certas ac definitas vias vt efficiatur, tanto in ea diligenter consideranda, plus temporis est insumendum. Qua in consuetudine, quatuor ante oculos sunt habenda, vt sit vtile, facile, certum, ac tutum; & hæc suis contrariis semper anteponenda, pernicioso, difficili, incerto, & periculoso. Oportet quoque consilium esse fidele: quoniam cum ad vtilitatem dubitantis sit referendum, perspicuum est, eum qui perfide, ac non sincera intentione dat consilium, damnum homini, ac perniciem moliri. Tale consilium vocatur dolosum; quia prodit hominem, qui in se confidit. Quod quam graue peccatum sit Salomon ostendit: Sicut noxius est, inquit, qui mittit lanceas & sagittas in mortem, ita qui fraudulenter nocet amico suo. Requiritur etiam in consilio, vt sit liberum, ac vacans assentatione; in quo adulatorum improbitas damnanda est, qui dum placere auribus Principum student, vera silentes; eorum vitam, ac totius regni salutem grauissimis sæpe periculis exponunt. Vt verissimum esse Salomonis dictum illud intelligamus: Qui blandis, fictisque sermonibus loquitur, rete expandit proximo suo. Præterea consilium laudatur, si sit secretum. Nam cum is, qui dubitat, tecum intima arcana libere exponat, effundatque, vt ait Ambrosius, amico animam suam; æquum est, vt tu ea, in occulto cordis tui retineas, nec in vulgus edas: cum præsertim ex reuelatione consilij possit quandoque graue proximo damnum euenire. Quare Salomon, Qui denudat arcana amici, fidem perdit. Deniq. considerandum est,

Prou. 19. *Prou. 26.* *Prou. 29.* *Eccl. 27.*

vt consi-

vt consilium sit opportunum, ne re iam deplorata, non modo proximo vtilitatem non afferamus, sed ei inanem spem, & vero etiam laborem superuacaneum addamus.

Visis conditionibus consilij, reliquum est, vt ad eas exequendas animos nostros incitemus: quod facile fiet, si considerauerimus, quam vberes fructus afferat: quamobrem qui proximo dubitanti consilium dat, in primis CHRISTVM imitatur: de quo in Prophetis legimus, venisse ad nos magni consilij angelum: cuiusque celebre est nomen apud Esaiam, admirabilis consiliarij, quique donec in his terris fuit, salutaribus semper consiliis humanum genus instruere non destitit: quem secuti Apostoli, cum verbo, tum Epistolis ad diuersas gentes dimissis, quid aliud conati sunt, nisi vt nutantes, & in rebus fidei dubitantes, confirmarent? Horum vestigiis insistens D. Antonius ex eremo sæpe egressus esse dicitur, & Alexandriam accessisse, Aphraates autem, ipse quoque eremita, tuguriolo relicto, Antiochiam circumcursare solitus, vt Christianos ob hæreticorum impietatem periclitantes consilio iuuarent. Tum vero, consilium dando, amor proximi, & charitas erga se ipsum prouocatur, qui cum se adiutum, atque ex aliquo graui periculo liberatum deprehendit, qui facere poterit, quin tanti auctorem boni summopere diligat? Tuq. ob idem opus Deum ad te amandum multo magis prouocas, qui præcipit tibi, vt proximum tuum diligas, non secus ac te ipsum.

Esa.9.

De vtroque scribit Niceph. lib. 11. cap. 15. legen. etiã est Theodorit⁹ hist. suæ lib. 4. cap. 26.

Extremum illud est, vt qui dubitationibus animum perplexum habent, consilio se indigere cognoscant, aliorumque sententias in rebus dubiis exquirere non sibi indecorum putent. Nam licet homo per se ipsum possit inuenire vias ad aliquid agendum, cum tamen verum sit tritum prouerbium, plus duos oculos quam vnum videre; ideo prudentis est, in dubiis, cum aliis conferre difficultates, nec proprię prudentiæ nimis inniti, quæ facile falli potest. Ad hoc nos Salomon adhortatur illis verbis: Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pænitebis. Atque vt idem alibi dicebat, Erit salus, vbi multa consilia sunt.

Eccl. 32.

Prou. 24.

In primis autem, in dubitationibus nostris Deum consulamus oportet. Nam si veteres oracula adijsse feruntur, quæ plena erant errorum, quid nos agere conuenit cum Deo, qui nec falli nec fallere potest? Ideo Tobias ita filium adhortabatur: Consilia tua in ipso permaneant. & apud Salomonem habetur: In oratione confitebitur domino, & ipse diriget consilium eius. Id adeo Dauid rex factitauit, qui in rebus dubiis consulere solitus est Dominum. Secundo referemus dubitationes nostras ad viros bonos: quoniam eorum consilium minime dubium est, quin saltem ex recta intentione præbeatur, habeatque quantum fieri poterit, omnes, quas supra indicauimus conditiones. Præter quam quod Deus ipse seruis suis multa communicat, iuxta illud. Abscondisti hæc a sapiẽtibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ideoque ad religiosos piosque homines in omni genere negociorum confugiendum erit: quod illis Salomon verbis ostendit: Cor boni consilij statue tecum, & a consiliario malo serua animam tuam. Obseruemus etiam illud Salomonis. Causam tuam tracta cum amico tuo, quoniam cum amicus erga amicum non aliter atque erga se ipsum affectus sit, certe sperandum est eum tale consilium daturum, quale sibi ipsi sumeret. In pretio habeamus senum consilia, de quibus Iob. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Et merito: nam cum senes multa sint experti, ex euentibus aliarum rerum facile possunt de his, de quibus dubitamus vtile consilium dare. Vnde Salomon: In multis expertus, cogitabit multa. Quare cum Roboam, vt in libris Regum legitur, reiecto senum consilio, iuuenum æqualium suorum sententiæ acquiescens populo grauia onera imposuisset, deficiente Israele, regnum summa Dauidis virtute fundatum, ac sapientia Salomonis constitutum amisit. Sequemur demum consilia sapientum, qui, & si illa non expe-

De antiquorum oraculis lege Leonicenum in dial. de diuinatione.

Tob. 4.

Eccl. 39.

Matth. 11.

Eccle. 37.

Prou. 25.

Iob. 12.

Eccli. 34.

rientia multa viderunt; tamen quod vſus rerum in ſenibus efficit, id in illis multa lectio, & diuturno ſtudio acquiſita doctrina præſtat. Ita Tobias: Conſilium ſemper a ſapiente require. Quare ſicut rari ſunt ſapientes qualem olim conſultum Vatum oraculum vix multis e millibus vnum retulit, ita iure Salomõ hortatur: Multi pacifici ſint tibi; ſed conſiliarius vnus de mille.

Tob.1.

Eccli.6.

Hac enarratione docuimus primum quomodo nos aliis conſilium dare conueniat: deinde expoſuimus a quibus nos ipſi conſilium ſumere debeamus. In primo nos erga alios miſericordiæ opus exercemus: hoc ſecundum niſi egerimus, erga nos ipſos immiſericordes, atque impij fuiſſe videbimur.





CONSOLARI MÆSTOS

IV



·A·B·



C









CORRIPITE
INQVIETOS
CONSOLAMINI
PVSILLANIMES
SVSCIPITE
INFIRMOS
PATIĒTES·ESTOTE
AD·OMNES

EPIST: I·AD
THESSALON:
CAPITE:
·V·



NON
DESIS·PLORĀTIBVS
IN·CŌSOLATIONE
ET
CVMLVGENTIBVS
AMBVLA

ECCLESIAST:
CAPITE
·VII·





M



N

VENITE·AD·ME·OMNES·QVI·LABORATIS
ET·ONERATI·ESTIS·ET·EGO
REFICIAM·VOS·MATTHÆI
CAPITE·XI·

AD QVARTAM ICONEM NOTAE.



A Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. *Iob.29.*

B Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem. *Iob.2.*

C Venerunt ad Ioseph fratres sui, & proni adorantes dixerunt, Serui tui sumus. Quibus ille respondit: Nolite timere, ego pascam vos, & paruulos vestros; consolatusque est eos, & blande, & leniter est locutus. *Gen.50.*

D Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. *Ioan.14.*

E Apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum. *Lucæ22.*

F Pater Abraham miserere mei. *Luc.16.*

G Dicit Iesus Marthæ, resurget frater tuus. *Ioan.11.*

H Iudæi erant cum Maria Magdalena in domo, & consolabantur eam. *Ioan.11.*

I Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit: non est hic. *Marc.16. Matth.28. Ioan.20. Lucæ24.*

K Apparuit primo Mariæ Magdalenæ. *Marc.16.*

L Dominus misericordia motus super eam, dixit illi, noli flere, & accessit, & tetigit loculum. *Luc.7.*

M Affligebat Annam æmula eius: porro illa flebat, & non capiebat cibum: Dixit ergo ei Helcana vir eius: Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligis cor tuum? *1.Reg.1.*

N Flebat mater Tobiæ, atque dicebat, heu heu me, fili mi, vt te misimus peregrinatum? cui dicebat Tobias. Tace & noli turbari, sanus est filius noster. *Tob.10.*



MOESTOS CONSOLANDOS ESSE

EXPLICATIO IIII.



COMMVNI sapientium opinione receptum est, quatuor pręcipuis perturbationibus naturam humanam subiectam esse, quæ sunt, spes, gaudium, metus, ac dolor. Inter quas illud discrimen est in primis, quod earum duæ circa bonum, duæ circa malum versantur. Eædemq. bonum, aut malum, vel vt futurum, vel vt præsens respiciunt. Speramus enim bene nobis aliquid euenturum, idq. cum venerit, gaudio afficimur; pariterq. impendentis mali timore perturbamur: quod cum acciderit, in dolorem nos, luctum, & lachrymas damus. Ac primis quidem duabus perturbationibus, spe, gaudioq. affecti, cum sua sint sorte contenti, misericordiam erga se cuiusquam non requirunt. Quos vero aut venturę calamitatis terror, aut præsens iam ipsa calamitas premit, ad eis pia & prudenti consolatione subueniendum, merito vel natura ipsa duce incitamur. Hi enim duo miserabiles nostræ mortalitatis affectus, ita animos deijcere solent, vt ex eorum quolibet, grauis quędam miseria nascatur, quæ vno, & communi nomine mæstitia appellatur. Quare & Christus instante iam passionis suæ tempore, etsi non dum sacrilegas in eum manus Iudas armauerat; mœrorem tamen suum verbis illis significabat: Tristis est anima mea vsq. ad mortem. Et Iob præsentium calamitatum turba circũdatus dicebat; Ecce clamabo uim patiens, et nemo audiet; vociferabor, & non est qui iudicet.

Matth. 26. Marc. 14. Iob. 19.

Quot igitur sunt ærumnę, quibus subijcimur, totidem ex causis euenire potest, vt mœrore, ac tristitia afficiamur. Aerumnas autem, quis infinitas, atq. innumerabiles esse non videt? Quare nihil facilius quam hominem mœrere. Nihil est prorsus in mundo, cuius si vel spe consequendi, vel obtenti possessione excidamus, non statim mœrore afficiamur. Interdum vero, etiam nullis apparentibus causis, callidi hostis instinctu, ita pestilens hic morbus cordis nostri recessus inuadit, vt maxima repente tristitia opprimamur. Siue enim ad cælum, siue ad terras, ac maria oculos conuertamus; seu nosmetipsos, seu proximos intueamur; & ex his seu amicos, atq. affines, seu alienos cogitemus; seu opes, seu honores, seu mundi fama, seu deniq. nostra salus animo obuersetur, vndiq. angustiæ, atq. afflictio spiritus.

Cassianus quiddã eius modi habet lib. 9. c. 4.

Tanta est autem vis huius affectus, vt in animum admissus, totis nonnunquam sensibus hæreat; nulla se consolatione amoueri patiatur; hominemq. in adeo obstinatam desperationem tradat, vt & commercia ceterorum præter naturam fugiat, & necessarijs alimentis abstineat, & vitam ipsam odio habens, fœda, & horrenda mortis genera non reformidet. Quis igitur non intelligat, quam laudandum humanæ misericordiæ opus exhibeat, qui cura, luctu, ac mœrore victum, atq. in periculosissi-

mo statu constitutum erigere ac recreare conetur? Quare merito sanctus Iob hoc de se nobis proponebat exemplum; Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. *Iob. 30.*

Sed multo nos vehementius ad hoc Christi exemplum inflammare debet, cuius illa est dulcissima inuitatio; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Nec solum verbis, sed multo magis id re ipsa ostendit. Quid enim aliud, cum cæcis visum redderet, mutis loquelam, surdis auditum, claudis gressum, ægris deniq. quocunq. genere morbi sanitatem; quid aliud inquam faciebat, nisi illos varijs de causis mœrentes, consolabatur? Ideo & ad consolationem viduę Naim filium vitæ reddidit, & Magdalenæ, & Marthæ misertus fratrem eis Lazarum viuum restituit; & ad Regulum mœrore leuandum puerum eius a mortuis excitauit: & ad solamen matris ante crucem stantis, illam Virgini Discipulo commendauit. *Matth. 11.*

Vel ob hoc igitur satis ad huiusmodi misericordiæ opus proximis exhibendum animati esse debemus, quod id agendo, CHRISTI imitatores efficimur. Est vero hoc opus per se ipsum maxime excellẽs, vel ob id, quod natura sua rarum est, & singulare. Sic enim apud homines viuitur, vt tempore felicitatis multos numeremus amicos; tempora cum fuerint nubila soli destituamur: quare recedentibus qui non nos sed fortunam nostram sequebantur, ægre in miserijs consolatorem reperimus. Huc spectant illa apud Salomonem: Est amicus secundum tempus, & non permanebit in tempore tribulationis; est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Probatur in rebus proximi aduersis tanquam igne charitas tanto tunc maioris meriti, quanto facilius a pluribus amittitur. Dat qui consolatur, quod nihil maius dare potest afflicto: exteriora enim largiens, vt D. Gregorius inquit, rem extra se ipsum præbuit; qui autem fletum, & compassionem proximo tribuit, ei aliquid de se ipso dedit. Quis igitur dubitet, quin Christianus, qui mœrentem solari nititur, rem Deo gratissimam faciat? quippe iuxta illud; Non est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus; tribulationes omnes, quę nobis accidunt, Deo ipso vel permittente, vel infligente eueniunt. Vult autem Deus nos illas patienter, atq. alacriter tolerare; Ergo qui ita cum fratre agit, ut męstitia deiectum curet erigere, nihil aliud studet efficere, nisi ut ille ad diuinam se voluntatem conformet: quo quid Deo gratius esse potest? Huc accedit, quod cum homo habitaculum sit sancti spiritus, mœstitia animum opprimens eiusdem Spiritussancti habitaculum perturbat. Quo illud Pauli spectare videtur: Nolite contristare Spiritum sanctum. Refulget quoq. in homine imago Dei, ad quam est conditus, quæ sicut mœrore obscurari videtur, ita miserendi consolatione ad lætitiam reuocata quodammodo illustrari. *Eccle. 6.* *Ephes. 4.*

Id ipsum opus Angelo vniuscuiusq. nostrum custodi iocundissimum esse existimari debet. Cum enim ille nihil aliud, nisi commendatæ sibi animæ salutem, ac gaudium procuret, quantopere credendum est eum lætari, cum nostrum alterum alteri videat benigna consolatione mœrorem eripere. Nihil vero communi humanæ naturæ hosti odiosius esse potest: quippe ille omnino a misericordia alienus, nulla re alia, nisi miseriis, & doloribus nostris pascitur, ac delectatur, vt verisimile sit eum maxime erga illos indignari, qui hominem mœrentẽ recreare nituntur. Alia quoq. via diabolo, consolator obsistit; quoniam, sicut ille hominem prosperæ flatu fortunæ euectum erigere in superbiam conatur, ita miseriis oppressum deijcere ad terrã, atq. vsq. ad inferos, & extremam desperationem prosternere nititur.

Itaque qui eidem homini dolore contabescenti consolationem adhibet, adhibet quasi murum, & propugnaculum, quo ab eo vehementes dæmonis insultus, atque impugnationes repellat. Tunc illud efficitur, quod apud Salomonem legitur: Frater qui iuuatur a fratrè, quasi ciuitas firma. Denique vt placet diabolo tristitia, quæ obscurat atq. obcæcat animam, ita eorum opera detestatur, qui animo lætitiam red- *Prou. 18.*

dentes

dentes, eis quasi lucem restituunt. Nec vero tibi ipsi, qui ceteros consolaris, minus inutilis ac salutaris eadem erit consolatio. Vere enim inquit Gregorius, cum alienæ infirmitati compatimur, valentius ad nostra roboramur. Cuius sententiæ illa vis est; quia dum ad alios recreandos efficaces rationes inquirimus, hinc fit, vt nos ipsos quoq. in fortitudine, & constantia roboremur.

Illi vero quem consolaris, quot beneficia vno tempore impendis? Considera quot damna animæ tristitia inferat. Edax, inquit, Cassianus tristitia si passim per singulos incursus, & incertos, ac varios casus obtenebrando animum nostrum habuerit facultatem, ab omni nos per momenta singula separat diuinæ contemplationis intuitu, ipsamq. mentem ab vniuerso puritatis statu deiectam funditus labefactat, ac deprimit. Non orationes eam explere insolita cordis calamitate permittit, non sacrarum lectionum sinit remediis incubare; Tranquillum quoque ac mitem fratribus esse non patitur, & ad cuncta operanda, vel religionis officia impatientem, & asperum reddit, omniq. perdito salutari consilio, & cordis constantia perturbata, velut amentem facit, & ebrium sensum, frangitq. & obruit desperatione pœnali.

Legēdus est ī collat. suis.

Quot igitur sunt quæ a religioso hoc scriptore spiritualia tristitię damna enumerantur, tot contra bona fraterna consolatione animæ reuocata conferuntur. Offundebat mœror animæ tenebras ne cælestia intueri posset: Reddit lucem lætitia, qua diuina, Deumq. ipsum cum gaudio contemplatur: Supprimebat illa animum, ne se ad superna attolleret; erigit hæc vt omnia inferiora contemnat: illa nos orantes interturbat. Hæc facit, vt interim in conspectu Domini simus, cum exultatione. Illa a sacris lectionibus auocabat: hęc efficit, vt eas nobis suauissimum pabulum existimemus. Illa immites fratribus atque intolerabiles reddebat: hæc lenit ac temperat, pręstatque quod Paulus hortatur, vt benigni inuicem simus. Illa quasi mente de sua sede depulsa quasi insanos nos ad desperationem adigebat: hęc eadem sanitati suæ restituta constanti diuinę misericordię spe ac fiducia nos consolatur. Nil igitur mirum si Salomon ait: Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Vestimentum namque, vt Cassianus docet, tinearum esu, ac tactu, nullius precij, vel honesti vsus poterit vlterius habere commercium. Itidemque lignum vermibus exaratum non ad ornatum vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Ex quo ille colligit animam tenacissimis tristitiæ morsibus deuoratam, conuenientem vestem esse non posse, in quam diuinæ gratiæ vnguentum descendat, quod vsq. ad oram vestimenti Aaron a Propheta descendisse dicitur: Nec ad structuram atque ornatum spiritualis templi posse adhiberi. De quo Paulus, Vos estis templum Dei, & Spiritus sanctus habitat in vobis.

Prou. 25.

Psal. 132.
2. Cor. 6.

Quis igitur ex his non intelligat quantū pietatis opus exerceat, qui summo mœrore fractum nititur consolari? Adde ad hæc damna vitæ corporalis, a quibus mœrens opportuno consultoris præsidio liberatur. Nullum est corporalis misericordiæ opus, quod non in afflictum ac mœrentem pius consolator exhibere videatur Aspernatur, qui tristitia deiectus est, cibum; ad eum, te consolante, alacris reuertitur: Deperditus erat vel preciosissimi vini gustus, mœrore depulso, tenuissimo aquæ potu contemptus est; atris vestibus ac sordidis squallebat; recreatus, vestimentis se lętitię induit: Tectum oderat, vagusq. auia, & solitaria loca quęrebat; Redit ad hospitium hominum nouo gaudio, & amicorum consuetudine delectatus: vinctus durissimę passionis laqueis tenebatur; soluit animum lętitia, & dulcissimę libertati restituit. Denique tanquam mœrore sepultus, nullum sensum communis vitę habebat, perfusus gaudio non in sepulcrum infertur, sed a morte ad vitam reuocari videtur. Quare, vere dicebat Salomon, sicut in mœrore animi deijcitur spiritus, ita mœrore depulso erigitur ac recreatur.

Prou. 15.

Hęc omnia nos incitare debent, vt quacunque ratione possumus, consolandis

his,

his, quos grauis hic tristitiæ morbus occupauit, charitatem exerceamus. Multi, inquit D. Paulus, vnum corpus sumus in CHRISTO; singuli autem alter alterius mēbra. Si quid autem patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Qua similitudine nos hortatur, vt pio compassionis officio mœrentes proximos nostros leuare studeamus. Sed idem exemplo suo docebat, cum diceret: Cum infirmor, tunc potens sum. *Rom. 12.* *2. Cor. 12.*

Non deerunt occasiones, pro humanę vitę miseriis, quibus tantopere abūdamus, huius charitatis exercendæ. Præclare amicitiæ munere funguntur, qui hoc erga amicos consolationis officio vtuntur. Vere enim, vt ait Salomon: Amicus fidelis, in eiusmodi occasione, medicamentum est vitæ, & immortalitatis. Quoniam, vt alio loco perpulchra comparatione ostendit. Sicut vnguento, & variis odoribus delectatur cor, ita bonis amici consiliis anima dulcescit. Laudanda eorum pietas, qui mœrentes ob consanguineorum occisionem, inuisere solent, nec solum flere cum flentibus, & plorare super mortuum cuius lux defecit, sed etiam consolari eos, quos maxime dolor tangit, atq. opprimit. Multo autem eorum charitas opportunior videnda est, qui languentibus, ac ob vim morbi de vita periclitantibus diligenter assistunt, eosq. prudenti adhibita consolatione ad læte atq. alacriter immissam, Dei voluntate, mortem suscipiendam adhortantur. *Eccli. 6.*

Quid de societate, quæ misericordiæ titulo insignitur, dicemus? Egregium sane eius institutum. Quoties accidit, vt ad aliorum terrorem publice scelera puniantur, adeunt viri ex ea societate delecti carceres; reos ad mortem deputatos pia oratione aggrediuntur: Animum mœrentem dulcibus alloquijs confirmant; CHRISTI crucifixi imagine, eiusque acerbissima passione proposita, ad mortis tolerantiam animant, spe beatioris vitæ recreant: nihil deniq. intentatum omittunt, quo abstergant luctum ex oculis eorum, mœroremq. eo maxime tempore inualescentem ex animis eripiant. Ita piissimo officio consequuntur, vt multorum animæ, quæ diuturno vitæ spatio inter cædes & furta, & rapinas iacuerant, extremo spiritu ad Deum conuersæ efficacis pœnitentiæ remedio conseruatæ, in cælum recipiantur.

Et quoniam difficile alterum consolari potest, qui ipse consolatione indigeat; curandum est, vt aduersa, quæ nobis accidunt, ita quoque ipsi excipiamus, vt vinci nos a mœrore & tristitia non patiamur. Credamus tribulationibus a Deo illatis peccatorum sordes expiari: constantiam nostram tanquam aurum in fornace probari: nec esse condignas passiones huius mundi ad futuram gloriam: nec tantis nos posse doloribus opprimi, quin multo maiores CHRISTVS Dei filius pro salute nostra perpessus sit. Communicantes igitur CHRISTI passionibus, quemadmodum Apostolus Petrus inquit: gaudeamus, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeamus exultantes. Nam & CHRISTVS hac spe mœrorem discipulorum suorum consolabatur: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis; & alibi: Tristitia vestra vertetur in gaudium. *1. Petr. 4.* *Matth. 5.* *Ioan. 16.*

Quod si tristitiæ locum dare velimus, salutare Ioannis eremitæ consilium sequemur. Vtilem enim dicit esse tristitiam, cum eam vel pœnitentia delictorum, vel desiderio perfectionis accensi, vel futuræ beatitudinis consolatione, concipimus. Hęc est tristitia, de qua Apostolus ad Corinthios inquit: Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur. Et illa quidem, quæ secundum Deum est, obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suauis ac patiens, vt pote ex charitate descendens; secumq. fructus omnes sancti Spiritus post charitatem trahens; de quibus Apostolus: Fructus autem spiritus charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, misericordia, continentia. Hęc autem sæculi asperrima est, impatiens, dura, plena amaritudinis ac doloris, vtpote a ratione aliena, & charitati cōtraria, per quam omnes, quos diximus, fructus sancti Spiritus amittuntur. *2. Cor. 7.* *Gal. 5.*

In primis igitur curemus pestilentem hanc diabolicamq. tristitiam tum ex pro ximorum cordibus, tum ex nostris expellere: deinde salutarem illam, Deoq. gratissimam amplecti studeamus. Lugeamus delicta nostra, quibus diuinum numen offendimus, Dauidem imitati, qui dicebat: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Doleamus, quod ita lento gradu in via virtutis procedamus: Quo dolore languebat Apostolus, cum diceret, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Denique exclamemus cum Regio Propheta. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: cogitantes nunquam nos penitus mœrorem absterfuros, nisi cum ad cælestem beatitudinem euecti, gaudiis illis perfruamur, quę duratura sunt in omnem æternitatem.

Psal. 118 *Rom.* 7. *Psal.* 119.





FERRE PATIENTER INIVRIAM

V



A



B






C



D



E



F

G







H



I

AIT PETRO·IESVS·CONVERTE·GLADIVM·TVVM
IN·LOCVM·SVVM·OMNES·ENIM·QVI
ACCEPERINT·GLADIVM·GLADIO
PERIBVNT·MATTHAEI·XXVI·



AD QVINTAM ICONEM NOTAE.

A Moſes,& Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Iſrael -- Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere; Ait Moſes ad Deum : Dimitte obſecro peccatum populi tui huius ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ. Et Num. 12. 16. 20. 21. orat pro ingrato populo,& pro Maria, quæ ſibi detraxerat vt Marul. etiam ſcribit lib. 3. cap. 3. *Num.14.*

B Iob perdita omni ſubſtantia,filijsq. interemptis,corruens in terram adorauit & dixit: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. *Iob.1.*

C Abſit gloriari niſi in cruce. *Gal.6.*

D Apprehendit Pilatus Ieſum,& flagellauit. *Ioan.19.*

E Et baiulans ſibi crucem,exiuit. *Ioan.19.*

F Expuerunt in faciem eius,& colaphis eum ceciderunt. *Matth.26.*

G Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius. *Matth. 27.*

H Magiſtratus templi, & principes ſacerdotum -- conuocantes Apoſtolos cæſis denunciauerunt omnino ne loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerunt eos. & illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. *Act.5.*

I Dixit Rex Iſrael ad Eliſeum, cum vidiſſet eos, qui venerant ad capiendum Eliſeum. Nunquid percutiam eos pater mi? & ille ait, non percuties -- ſed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant,& bibant,& vadant ad Dominum ſuum. *4.Reg. 6.*



INIVRIAS PATIENTER FERENDAS ESSE

EXPLICATIO V.



VMANAE fit imbecillitate naturæ, vt variis defectibus subiecti simus: qui etsi sine culpa, ac præter intentionem non nunquam esse dignoscuntur, ita tamen molesti esse solent, vt eos alter in altero ægre pati possit. Quin etiam ob id, in quo aliquis nullam nos offendendi prætulit voluntatem, ac si peccat sola imprudentia, aut simplici quadam negligentia peccat, ita plerunq. excandescimus, vt omni abiecta patientia, ad eum odio prosequendum impellamur. Hinc factum est, vt quidam ad huiusmodi imperfectiones nomen iniuriarum extenderint, non quod re vera eę tanquam iniurię in nos a proximo emittantur: sed quoniam haud secus ob eas impatientia nostra exacerbatur, ac si nobis illata esset iniuria. Hanc delicati mollitiem animi communis societatis perturbatricem diuina misericordiæ virtus fręnare studet.

Vt autem quid hoc misericordiæ opere a nobis postulatur, perspicue intelligamus, varias nobis ante oculos hominum imperfectiones proponamus oportet, in primisq. consideremus, quæ illa sint, & quam leuia, quæ nos ad iracundiam, & impatientiam irritare solent. Horum igitur defectuum, quibus obnoxij sumus quidam in corpore, quidam in animo, ac moribus spectantur: in quibus non tolerandis inde nascitur impatientia, quia homines, qui illis subiecti sunt, contemptu dignos existimare solemus. Obuius sit tibi aliquis, aut oculo, aut pede, aut humero læsus: & si nihil aduersus te admisit, spernis tamen, & irrides, & auersaris. At humanæ sunt hęc infortunia vitę, & incommoda, non contemptu, & irrisione, multoque minus odio, sed miseratione prosequenda. An non sub deformi corpore pulcher quandoq. animus latet, vt sub sordido palliolo sapiētia? An non omnes ad Dei imaginem conditi, & pretioso CHRISTI sanguine redempti sumus? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri, inquit Esaias. (*Esa.40.*) Quare sicut ob pulchritudinem corporis vanum est gloriari, ita eius deformitates stultum est reprehendere. Illud potius videndum est, ne tu, qui corpus in altero distortum aduertis, minus recto sis animo, ne interna cęcitate offusus, exteriore proximi albugine offendaris; ne claudicans in obseruatione mandatorum Dei, alienos gressus frustra consideres, ne distortis naribus ad fœtorem scelerum sentiendum, quod nihil ad rem animę facit, in altero ridendum putes, ne denique peccatorum scabie, & impetigine inquinatus, aspectum corporali labe infecti hominis abhorreas. Vt igitur nec medicus ægroto succenset, nec CHRISTVS variis affectos morbis vnquam refugit, ita nos eiusmodi in fratribus nostris turpitudines corporis miserari debemus.

Sed sunt alię animi, ac morum imperfectiones, & quidem pro ingeniorum dissimilitudine non minus frequentes, quę acrius nos pungunt, ac concitant, efficiunt-

que, vt alter alteri vel leuissimas ob causas indignetur. Atque vt quidam sua sponte grati, & amabiles nascuntur, qui licet nullos nos sibi beneficio deuinxerint; tamen vt plurimum ab omnibus diliguntur: ita aliorum est infelicitas quædam, vt quidquid agunt, loquuntur, conantur, infestum, atq. odiosum videatur. Erga hoc vltimum genus hominum ita nos affectos esse conuenit, vt quam illis natura amabilitatem negauit, charitate suppleamus, quam nos CHRISTVS edocuit; Hoc est præceptum meum, inquit ille, vt diligatis inuicem; & in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem ad inuicem habueritis. Nunquid igitur naturæ imperfectio nos contra proximum concitabit, perfectio gratiæ non ad eundem tolerandum inflammabit? Nunquid non vnus pater est omnium nostrum, inquit Malachias? Quare ergo despicit vnusquisq. fratrem suum? *Ioan.15.* *Ioan.13.* *Malach.2.*

CHRISTVS quidem cælestis doctrinæ magister illam aliquando nobis egregiam admonitionem tradidit. Videte ne cõtemnatis vnum ex his pusillis. Qui sunt pusilli, nisi qui vel ob ignorantiam, vel ob simplicitatem, vel ob rusticitatem, vel alia quauis de causa magis despiciendi videntur? Ideo addit CHRISTVS duas rationes, ob quas nullus a nobis est contemnendus: vna est, quod quisquis rationis particeps creatur, præclara angelorum custodia a Deo est honoratus. Dico enim vobis, ait, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est: quasi a maiori ad minus argumentando dicere velit: Si a Deo omnipotenti proximus tuus quantumuis pusillus, ac minimi pretij videatur, non contemnitur, qui angelos ad eius custodiam deputauit; quid te hominem homini facere par est? Si ipsi angeli, te digniores, homini ministrare non recusant; cur tu æqualem æqualis despicias? Secunda ratio, qua nos ad proximis compatiendum CHRISTVS incendit illa est; quia eos sic Deus dilexit; vt pro eorum salute filium suum vnigenitum daret. Venit enim, inquit, filius hominis saluare quod perierat, videlicet non magnos tantum; sed etiam pusillos. Si igitur CHRISTVS totius humani generis peccatis grauissimis compassus est; cur nos contemnamus hominem, pro quo ille seruando homo fieri, ac semetipsum dare, & grauissima perferre supplicia dignatus est? Hoc Apostolus ad Romanos scribens expresse præcipit; Noli contristare, & perdere fratrem tuum, pro quo CHRISTVS mortuus est. *Matth.18.* *Matth.18.* *1.Ioan.4.* *Matth.18.* *Rom.14.*

Verum quia præter illam, quam diximus, quasi naturalem inamabilitatem peculiares quædam sunt imperfectiones, quas in fratribus nostris ægre patimur, quæ illæ, ac cuiusmodi sint attingere operepretium erit. Quatuor omnes constamus elementis terra, aqua, aere, & igne, quorum illæ sunt propriæ singulorum facultates, siccitas terræ, frigus aquæ, humor aeris, calor ignis. Horum varia mistio cum in ceteris animantibus, tum in homine maximas & corporum & morum diuersitates facit. Ac proinde, prout alicuius elementi maior, minorue vis in nobis existit, ita ingenia, animiq. inclinationes dissimiles trahimus. Præualet in aliquo feruor igneus; iracundum faciet: est enim celer, actuosus, pertinax ignis. Aqueo aliquis humore abundat, frigidus & tardus erit: Pigrum enim est, contractumq. frigus: Aerea natura, quæ multum spiritus habet lætitiam secum affert: Terrena, quæ grauis est & onerosa grauem quoq. & tristem animum reddit. In his igitur corporum, animorumq. varietatibus, ita experientia compertum est, eos maxime inter se amicitiam colere, qui similem elementorum coagmentationem habeãt: eos vero se inuicem minime patienter tolerare, in quibus pugnantes inuicem eorundem primorum corporum qualitates dominantur. Ideo, vt ille ait, Oderunt hilarem tristes, tristemq. iocosi. & homo placidus, ac mitis de iracundo male sentire solet; & iracundus a miti & placido abhorrere. Quod tanto magis accidit, quia vnusquisq. in eo, ad quod natura procliuior est, excedere solet, qui excessus vt non semper peccatum sit, imperfectio tamen quædam existimetur; eaq. ijs, qui dissimili ingenio sunt, morosa ac permolesta.

Contra eiusmodi imperfectiones impatiēti animo irritari, omnino est ab humanitate, & a ratione alienū. Nemo, inquit Seneca, naturæ sanus irascitur. Quid enim si mirari velis non in siluestribus dumis poma pendere? Quid si mireris spineta, sentesq. non vtili aliqua fruge compleri? Nemo irascitur vbi vitium natura defendit. Præter naturales vero imperfectiones, aliæ sunt nec numero pauciores, nec minus patienter ferendæ, quas non ab ingenita complexione, sed vel a teneræ educationis initiis trahimus, vel paulatim annis crescentibus hinc inde hausimus & arripuimus. Quæ nobiscum cum educatione vitia creuerunt, difficillime auelli possunt, quo magis eorum miserendum est. Quæ hinc inde arrepta sunt, varias causas habere possunt: Aut enim exemplo similiter peccantium, aut perperam docentium disciplina inducta sunt, aut ex morbo aliquo, corporisue iniuria suscepta, aut paulatim praua consuetudine nobiscum consociata, aut qualibet alia via in animos nostros ita irrepserunt, vt eis grauiter, vi vel amoris vel alterius passionis oppressis, maxima miseratio debeatur.

Hæc est materies huius operis. Hic quintus est fructus Christianæ misericordiæ, vt horum generum, seu vitia dicere velimus, seu defectus, non tanquam iniurias hostiliter auersemur, sed tanquam communes humanæ fragilitatis imperfectiones patienter in proximis nostris feramus. Huc illud B. Pauli spectare scripsit Doctor Angelicus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem CHRISTI. Non est hæc parua huius operis laus, quod per illud CHRISTI legem adimpleri testatur Apostolus. Quæ est autem lex CHRISTI, nisi illa, de qua discipulis suis aiebat? Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem; & mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Ergo, si onus alterius patienter portans adimplet legem CHRISTI: quis dubitet eum, qui ferre nolit, idem a CHRISTO latum sanctæ charitatis præceptum violare? Hæc igitur prima sit consideratio, qua ad hanc misericordiæ partem exequēdā animemur, vt cogitemus in eo nos CHRISTO obedire, qui mandatum charitatis, tanquam nouum ac proprium pręceptū de cælo attulit. Quod præceptum sine eiusmodi defectuum in ceteris tolerantia, minime impleri posse D. Paulus edocuit.

D. Tho. 2. 2. q. 32. art. 2.
Gal. 6.
Ioan. 13. & 15.

Altera consideratio, vt ad nosmetipsos aciem mentis conuertamus, ac in memoriam reuocemus duo illa ethnici quidē oraculi, sed saluberrima verba: Nosce te ipsum; nam si nosmetipsos cognouerimus, haud dubie non minoribus nos quam ceteros vitiis, seu naturalibus, seu aliūde profectis, subiectos videbimus. Nō odio prosequetur hilaritatem alterius, qui ne sua damnetur seueritas, ac tristitia formidabit. Feret paulo effusiorem risum adolescentis tardus ac criticus senex. Feret adolescēs morbosum senem, aut tussientem, aut ægre se ad vitæ officia commouentem: viuacis deniq. vir ingenij tardo atq. hebeti, benemoratus rustico, doctus ignorāti, exercitatus inexperto, recte agens erranti compatietur. Sed heu quam verum est illud Isidori: Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciunt; & cum ipsi maximis criminibus obnoxij teneantur, peccata minora fratribus non dimittunt. Contra quod genus hominum merito CHRISTVS exclamat; Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Tale quippiam secum animo reputasse credibile est Moysem Abbatem in deserto Scythiæ celeberrimum: qui accitus, vt sententiam contra fratrem ferret, qui peccauerat, venit saccum arenæ plenum tergo gestans; & rogatus quid illud esset: peccata sua esse dixit, quæ vix sustinere valeret, ne dum aliena iudicare. Quod alij, qui aderant audientes, fratri pœnitēti veniam indulgere, quam pœnam infligere maluerunt, dum considerarent, ne se quidem sine peccatis esse.

Isid. lib. 3. de summo bono.
Matth. 7.

Tertia consideratio, qua patientes reddi possumus ad imperfectiones fratrum sustinendas, est, vt naturalis illius legis memores simus, quam Tobias senior filium suum docebat: Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu aliquādo alteri facias. Quam

Tob. 4.

Saluator quoque noster apud Matthęum repetijt: Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: Si igitur tibi gratum est, vt alij tuas tolerent imperfectiones, & tu quoque ęquanimem te erga alios & patientem prębe. *Matth. 7.*

Quarto considerãdum est, quam sæpenumero damnosa sit proximi impatientia, quam nos in eius defectibus tolerandis ostendimus. Exemplo docet hoc pulcherrimo Cassianus, quod huiusmodi est: Venerat ad senem quendam in eremum iunior monachus simpliciter prodens se mirum in modum carnalibus desideriis agitari ac remedium tentationi quærens: Auditum senex ita amaris verbis excepit, ita plena impatientiæ correctione exasperauit, vt eum tristem, ac mœrentem summa desperatione deiectum ab se dimitteret. Quo factum est, vt animo totus perturbatus iuuenis, non iam de tentatione superanda, sed de explenda cupiditate cogitaret. Iamq. rediisset ad sæculum, vt carnis expleret desideria, nisi ei alter senex Apollo nomine occurrisset, qui imperfectioni eius compatiens, ac blanda consolatione animum illius demulcens, perfecit vt prauum propositum ad sæculum redeundi relinqueret. Disce itaq. inquit Cassianus, laborantibus condolere, periclitantes nequaquam perniciosa desperatione deterrere, nec durissimis sermonibus asperare, sed potius leni, blandaq. consolatione refouere, & secundum præceptum sapientissimi Salomonis eruere eos, qui ducuntur ad mortem, & redimere eos, qui interficiuntur, nostriq. Saluatoris exemplo arundinem quassatam non conterere, & linum fumigans non extinguere. *Cassia. coll. 2. Abb. Moyses de discretione c. 13.* *Matth. 12.*

Et hæc igitur quinta nos consideratio ad proximo compatiendum vbi defecerit, permouere debet, quod nullus est ita desperatæ conditionis, qui non emendatis vitæ defectibus, se ad meliorem frugem reuocare possit. Huc spectat illa in Euangelio comparatio, qua dicitur, nec arundinem quassatam esse conterendam, nec linum fumigans extinguendum. Nam & arundo licet concussa, si tamen radici suæ innititur, fieri potest vt reuirescat; & linum donec fumigat, spes est vt iterum accendi possit. Haud aliter dum durat vita de nemine desperandum est, quin mores in melius mutare posit. Diogenem, qui Cynicus dictus est, narrat gẽtilium historia adulterinæ monetæ infamia notatum, patria pulsum esse: quem tamen constat, cum postea philosophiæ operam dedisset, ita pecuniam contempsisse, vt eam a nullo accipere vellet; dolioq. pro domo contentus nudus ageret. Cuiusmodi morum conuersiones eo plures in Christiana historia habemus, quod apud nos pœnitentia palam prædicatur, adestque præsentius diuinæ gratiæ auxilium, quo pristinæ vitę obliti, in nouum hominem, vt Paulus inquit, renouamur. *Ibidem.* *Diogenes Laert. i eius vitæ.* *Ephe. 4.*

Sexta & vltima consideratio, qua adduci possumus, vt imperfectiones fratrum nostrorum feramus est, si consideramus, quæ illa sint, quamq. leuia; quę nos plerunque ad indignationem irritare solent. Parum agilis est puer, inquit Seneca, aut tepidior aqua potui erogata, aut turpatus torus, aut mensa negligentius posita; Ad ista concitari insania est; & nos tamen ita nonnunquam ob hęc exscandescimus, vt in rabiem agi videamur. Quanta igitur est animi imbecillitas ob minima hęc vehementissime exacerbari? Quid de nobis sperandum erit in ceteris, si hęc tam parua ferre non possumus? Nam quomodo feret ille reprehensiones, obiurgationesque præsidentium, quem tussis alicuius, aut sternutamentum obuersatus canis, aut clauis negligentis serui manibus elapsa in furorem agit? Quomodo famem, ac sitim, & ieiuniorum, vigiliarumq. labores perpetietur, qui puero male diluenti nucem irascitur? Ferri & catenarum quę ad tormenta expediuntur quo animo sonitum exaudie, quem fracti subsellij stridor offendit? Refert Seneca Mendyridem fecisse quen dam ex Sybaritarum ciuitate, qui cum vidisset fodientem, & altius rastrum leuantem, lassum se fieri quęstus, vetuit illud opus in conspectu suo facere, bilem habere sępius quęstus, quod foliis rosę duplicatis incubuisset. Vnde in hoc homine tanta vis impatientię? Non quia durum aliquid pateretur, sed quia mollis ipse, & volupta *Seneca lib. 2. de tract. cap. 24.* *Ibidem.*

tibus corruptus.

Et certe sicut infelicis valetudinis argumentum est, ad quamlibet leuem auram in morbum incidere;ita ob leuem quamlibet occasionem,patientiam abijcere, & contra proximum exasperari, magnum argumentum est animę spiritualiter ęgrotantis. Curemus igitur defectus & imperfectiones, quę sunt in proximis nostris ęquo animo perferre, nec hostes peccantibus simus, sed potius correctores. Id si fecerimus, miserebitur quoq. nostri clemētissimus Saluator noster, de quo ad Hebręos Paulus ait:Non habemus Pontificem,qui non possit compati infirmitatibus nostris. Hæ autem infirmitates tot, tanteq. sunt,vt nullus se sanum ac penitus ualentem affirmare possit. Dicente Dauide: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum;non est vsque ad vnum.

Hebr. 4.

Psal. 52.






OFFENSAM REMITTERE

VI
























DILIGITE·INIMICOS·VESTROS·BENEFACITE·HIS
QVI·ODERVNT·VOS·ET·ORATE·PRO
PERSEQVENTIBVS·ET·CALVMNIATIBVS
VOS · MATTHAEI·CAPITE ·V·

AD SEXTAM ICONEM NOTAE.

A Mortuo Iacob, timentes fratres Ioseph, & mutuo colloquentes, ne forte memor sit iniuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus, mandauerunt ei dicētes, Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus; Obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum. -- Quibus auditis, fleuit Ioseph, -- Nolite timere, ego pascam vos, & paruulos vestros: consolatusq; est eos. *Gen. 50.*

B Lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. *Act. 7. & Marul. lib. 3. cap. 3.*

C Pater dimitte illis, Non enim sciunt quid faciunt. *Lucæ 23.*

D Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. *Matth. 5.*

E Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vsq. septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi vsq. septies, sed vsq. septuagies septies. *Matth. 18.*

F Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. *Matth. 18.*

G Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. *Luc. 15.*

H Iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq. redderet vniuersum debitum: sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq. fratri suo de cordibus vestris. *Matth. 18.*

I Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra: si autem nō dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Matth. 6.*

K Locuta est Maria & Aaron contra Moysem, & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix: clamauitq. Moyses ad Dominum dicēs: Deus, obsecro, sana eam. *Num. 12.*

L Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo; ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. *Matth. 5.*



INIVRIAS ATQVE OFFENSAS DIMITTENDAS ESSE

EXPLICATIO VI.



NTER res homini in vita maxime arduas, atq. difficiles est remissio offensarum, a quibus iniustus dolor ita intima mente exæstuat, vt dies noctesq. eam quiescere non patiatur, nec quicquam aliud cogitare sinat, nisi vindictam, qua proximo, a quo læsi sumus malum pro malo reddamus. Graue certe vitium, tantoq. periculosius, quod ei communis multorum, qui vulgo prudentes habentur, sententia suffragatur perperam iudicantium, actum esse de honore & existimatione eius, qui offensam tacitus tulerit, atq. impunitam iniuriam abire permiserit. Longe secus Christiana pietas docet, quæ nos, vt inimicos diligamus, admonet, vtq. non patienter solum mala per eos illata toleremus, verum etiã liberaliter condonemus. Seligamus igitur aliqua tum ex sacris scriptoribus, tum ex diuinis literis, quæ ad peruersam hanc mundi opinionem repellẽdam & inanem hunc naturæ affectum placandum, facere videntur.

Duplex est genus offensæ, quo homo hominem lædere potest, verbi vnum, alterum facti. Verbo lædit, qui aut absenti apud alios detrahit, aut coram præsenti conuicium facit. Hæ iniuriæ appellantur, proprieq. contra honorem, & existimationem diriguntur. Facto offendi potest quis tripliciter, aut in persona, vt ictu, verbere, vulnere; aut in re, vt furto & bonorum externorum læsione; aut in honore, vt in coniugatæ adulterio; aut defloratione virginis familia aliqua dehonestari existimatur: omnia quoque damna coniunctis personis illata, quasi nosmetipsos læserint, nostra ducimus. Ex quo fit vt ad vlciscendos affines, & consanguineos vehementer humanus animus incitetur.

Hæc omnia vno offensæ nomine comprehensa damna, dimittere salutare est opus misericordiæ, CHRISTI in primis nobis & doctrina & exemplo commendatum. Doctrina commendat, cum odium inimicorum prohibet: Diligite, inquit, inimicos vestros; benefacite ijs, qui oderunt vos; benedicite maledicentibus vobis, orate pro calumniantibus vos. Ac statim paulo post subdit: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Siquidem, & peccatores hoc faciunt. Tandemq. concludit: Veruntamen diligite inimicos vestros, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. *Luc. 6.*

Sæpe quoq. alias idem cælestis magister ad hanc erga inimicos beneuolentiam, ac charitatem humanum genus est adhortatus. Sed quid necesse est in verbis recensendis longius immorari, cum exempla eius ad hoc nos incitantia præclarissima habeamus? An non toto eo tempore, quo cum Iudæis egit, omni ab eis genere iniu-

riarum,atq. offensarum CHRISTVS tentatus est?Ebrium,ac potatorem vini dixerunt eum, qui singularis nobis abstinentiæ specimen præbuit, quadraginta dies,ac noctes in solitudine ieiunando: Meretricum,& publicanorum ei consuetudinem obiecerunt,qui ideo in mundum venerat,vt non iustos,sed peccatores ad pœnitentiam vocaret·Violatorem sabbathi sępius nominarunt eum,qui non soluere legem venerat;sed adimplere. Miracula,quę diuina virtute patrabat, dęmonum pręsidio, ac potentiæ attribuerunt.

Quas omnes,& quidem iniustissimas contumelias,cum ille maxima animi mansuetudine,ac patientia toleraret, voluit etiam grauissimos in corpore suo dolores nostra causa perferre:Lapidibus appetitus,colaphis percussus,flagris cæsus, purpura ad ludibrium indutus, spinis pungentibus redimitus, in cruce suspensus, clauis transfixus, lancea vulneratus; felle & aceto potatus; extremum alto cum gemitu spiritum Patri tradens humanam salutem in medio terræ est operatus. Et in his *Psal.73.* quidem perferendis tantam patientiam pręstitit, vt non solum, quemadmodum apud Esaiam legimus,quasi agnus coram tondente se obmutuerit,verum etiam mi- *Esa.53.* sericordia erga ipsos interfectores motus, Patrem orauerit, vt eis quid facerent nescientibus, ignosceret. Merito igitur se nobis excellentissimum charitatis erga inimicos exemplar CHRISTVS verbis illis proponit: Discite a me, quia mitis sum *Matth.11.* & humilis corde:non e nihilo mundum condere;non solem,aut Lunam fabricare; non fluminibus terram irrigare; non prata herbis, & floribus circumuestire; non mortuos suscitare doceo;sed mansuetudinem in primis, & humilitatē cordis vos ex me velim ediscere,quæ maxime in contumeliis,& offensis æquanimiter perferendis elucet. Et a me,inquit, discite, a me nimirum, qui si æterni Patris Filius, & rex Angelorum ob vestram salutem,exinaniui memet ipsum; factus obediens vsq. ad mortem crucis; qui fieri potest, vt vos vermiculi, vt puluis, ac cinis, & fœnum arescens vel minimo dicto aut facto ad impatientiam prouocemini? An non sufficit discipulo vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius?

Optimi magistri vestigia secuti Apostoli, cum eos Principes sacerdotum, ac Pharisæi infestis animis persequerentur, ibant gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti erant per nomine IESV contumeliam pati: ijdemq. non destiterunt ad eandem nos illatorum malorum patientiam sæpenumero adhortari. Repetit Paulus verbum CHRISTI:Benedicite persequentibus vos:Benedicite,& *Rom.12.* nolite maledicere:Inculcat Petrus exemplum Christi: CHRISTVS passus est pro *1.Pet.2.* nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur: Tradebat autem iudicanti se iniuste. Proponit Iacobus mercedem CHRISTI, Beatus vir, qui suf- *Iac.1.* fert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam, quam repromisit Deus diligentibus se.Demum Ioannes quanto supplicio dignus sit,qui immitem se proximo, atq. vltorem præbet, aperte ostendit,cum dicit: Omnis, qui odit *1. Ioan.3.* fratrem suum,homicida est,& sciens, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.

Tot igitur CHRISTI, Sanctorumq. adhortationibus, & exemplis propositis, quid est o homo quod te tantopere ad iniurias vlciscendas inflammet? Turbat animum excepti conuicij, aut damni memoria, hæret penitus infixus dolor, Crebra trahit pectus suspiria, tristis est frons, minax vultus, ardentes oculi, inquietæ manus, & totum concitum corpus. Quid est quod te tantopere commouet? Num mihi, inquies ille maledicere ausus? Non honoris mei, non meritorum, non astantium rationem habuit: Non feret impune: vlciscar vel cum vitæ periculo contumeliam. Obsecro te quisquis es, qui ita concitaris, quid tibi accepta, si tantum in verbo consistit, obfuit iniuria? Etenim si vera est, hæc tibi ex inimico vtilitas nascitur, vt in vitiorum tuorum cognitionem adducaris. Quibus

cognitis

cognitis facile eueniet, vt ob inimici dictum refellendum, te ab eis omni studio reuocare coneris: Quo illud spectare videtur Diogenis responsum; Interroganti cuidam, qua ratione de inimico pœnas sumere posset; Si te, inquit, bonum virum, ac laude dignum præstiteris. Quod si falsa est, & odio conficta, ad te omnino iniuria nō pertinet; nec eius aculeis extrinsecus admotis tangi vllo modo virtus, aut labefactari potest. Quare merito Seneca si magnanimus, inquit, fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri. Tu de inimico dices: Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit.

Miserandum est igitur potius hominis, qui contra proximum iacit contumeliam, primum quia amentiam quandam ostendit, dum in eo, in quo tibi nocere se cogitat, prorsus non nocet, aut vero etiam prodest. Ex quo verum esse cognoscitur Philosophi dictum aientis, Iniuriam insaniam esse eius, qui facit: cui simillimum alterum sapientis: Ira in sinu stulti requiescit. Debetur quoque eidem misericordia, quatenus in se ipsum quodammodo sæuit, ac manus inijcit. Siquidem virum stultum, vt Iob testatur, interficit iracundia: meritoque Diuus Hieronymus: Apud Christianos, inquit, miser est, non qui patitur contumeliam; sed qui facit. Et diuus Petrus, Si exprobramini in nomine CHRISTI, beati eritis, quia ipse clara voce proclamat: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter nomen meum.

Eccle. 7. *Iob. 5.* *1. Petr. 4.*

Sed fortasse dicas, maledicta, & conuicia, quæ petulans lingua effundit facilius toleramus, vt vero graues aut in corpus, aut in rem, aut in honorem illatas offensas obliuiscar, fratrisq. aut patris, aut coniunctissimi amici necem inultam relinquam, quomodo adduci possum? Huc maior patientiæ vis admouenda est, ac firmandus animus cogitationibus illis, quæ iracundiæ efferuescenti quasi frænos inijciant. Meditari hic CHRISTVM, valet plurimum, qui, vt supra diximus, tam multa ab inimicis pro nobis patientissime perpessus est: idemq. vt faceremus magnopere omnes est adhortatus. Terreat nos illa in Genesi pertinacis iracundiæ detestatio: Maledictus furor eius, quia pertinax, & indignatio eius, quia dura. Cogitemus quantopere Deo vindicta per hominem facta displiceat: Hoc enim argumento D. Paulus vtitur: Date, inquit, locum iræ: scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus. Qui ergo de altero ipse vltionem sumere vult, quasi Deo, quod suum est, pręripit, sibique vsurpat. Quod & Salomon prohibebat: Ne dicas, reddam malum pro malo, expecta Dominum, & liberabit te. Hoc S. Abbas Philosius intelligebat: De quo in vitis Patrum legimus, cum ei fratrum quidam, cupiens eum de alio quodam fratre, a quo iniuria fuerat affectus, vindictam sumere, nil aliud respondens, ad Deum conuersus, orare cœpit, Deus iam non necesse est, vt pro nobis solicitus sis, quia nos ipsi, sicut hic frater dicit, & possumus, & volumus nos vindicare. Quod cum ille audisset pænitentia ductus, vltionem vltra quærere destitit.

Gen. 49. *Rom. 12.* *Prou. 20.*

Caueamus etiam, ne in nosmetipsos crudeles simus. Nam cum quotidie Dominica oratione cælestem Patrem obsecremus, in qua illa particula est: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: profecto nisi nos eis, a quibus læsi sumus dimittimus, non orationem, vt ait egregius Doctor, pro nobis facimus: sed super nos maledictionem inducimus: vereq. illud Ecclesiastici impletur in nobis: Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus? Deniq. illud attenta meditatione reuoluendum est, quod toties nobis in sacris scripturis inculcatur, Deum ei, qui proximo non dimiserit, nec ipsum quidem offensas contra se factas dimissurum. Dimittite, inquit CHRISTVS, & dimittetur vobis. Et alibi, si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cælestis delicta vestra. Quis autem est, qui multitudinem, ac magnitudinem scelerum suorum recogitans, non se diuina misericordia indigere cognoscat?

Eccli. 33. *Luc. 6.* *Matth. 6.*

Hæc cogitatio D. Bernardum aliquando vt acceptam iniuriam æquo animo ferret, induxit. Venerat ad eum nescio quis monasticam professurus vitam: reiecit Bernardus hominem, monuitque posse, si vellet, etiam alibi cum proficere: At ille repudiatus, sanctum hominem pugno percussit; fuissent qui aderant confestim vlti iniuriam, nisi eius, qui erat iniuria affectus, intercessisset auctoritas. Oportere enim, dixit, eum aliis ignoscere, cui toties a Deo ignoscitur. Quare nil mirum, si idem beatus vir instante iam morte, rogatus a fratribus, vt aliqua eos salubria doceret, inter cetera hæc dixit eis: Alieno sensui magis quam meo credidi. Læsus vindictam non expetij. Sed vt quando perfecta iniuriarum & offensarum dimissio fieri debeat, ostendamus. Proponemus decem gradus, quibus ad veræ patientiæ culmen ascenditur, eosq. singulos proprio exemplo illustrare conabimur. *Marul. l. 5. cap. 2.*

Primus gradus est, vt conemur, si fieri possit, a nobis opinionem iniurię amouere; si allatum ad nos fuerit, aliquem contumeliose quidpiam de nobis locutum, non illi aures præbeamus. Sit nobis suspectum illud commune humanæ fragilitatis vitium, quo alter alteri facillime detrahere solet. Cogitemus etiã fieri posse, vt qui aliquid tibi de proximo contra tuam existimationem, ac voluntatem narrat, non recte intellexerit. Illud denique suspicemur, ob aliquem finem nobis vtilem potuisse fieri, vt id aliquis diceret, quod alter honori nostro aduersum, & contumeliosum iudicauerit. His cogitationibus egregius philosophus Plato aliquando animo suo est moderatus. Audierat Xenocratem discipulum multa de se impie locutum: sine vlla cunctatione criminationem respuit. Instabat certo vultu delator, quærens causam, cur sibi fides non haberetur: Adiecit, non esse credibile, vt quem tantopere amaret, ab eo inuicem non diligeretur. Postremo cum ad iusiurandum inimici asserentis malignitas confugisset, affirmauit nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset. Si tot modis ethnicus detractorem lingua defendit: Quid facere æquum est Christianum, qui illud de CHRISTI ore accepit; Beati estis, cum maledixerint vobis homines? *Val. Max. lib. 4. cap. 1.*

Secundus gradus æquanimitatis in offensis, seu iniuriis erit, vt, quod nobis absentibus effectum, relatione accipimus, an ita, vt refertur, extiterit, dubitemus. Facile auditus fallitur; Multa falsa veri speciem pręseferunt. Si fuerit in nobis charitas CHRISTI, inueniet aliquid, quod suspicetur in fauorem proximi. Charitas, inquit D. Paulus, omnia credit, omnia suffert, omnia sustinet. Spectarunt homines suismet oculis quandoque aliquid, quod postea falsum esse compererunt. Assimilauit quondam Diabolus, famam, & habitum episcopi Syluani, virum sanctum dehonestare cupiens, & matronam quandam adiens vrgere cœpit, ac tentare: negauit illa, domesticorum opem inclamauit. Accurrunt domestici: Laruatum dæmonem sub lecto reconditum deprehenderunt, quem verberibus, ac contumeliis oneratum extra ædes eiecerunt. Percrebuit in ciuitate grauis de episcopo infamia, credentibus omnibus flagitium, quod ne cogitarat quidem Episcopus. Credebat mulier, credebant domestici, oculis se met suis Episcopum vidisse asseuerabant. His testantibus, totus populus credidit, cuius furorem, vt vitaret coactus est vir innocens Bethleem aufugere. Durauit autem falsa credulitas, donec adducta per Syluanum muliere dæmoniaca ad tumulum diui Hieronymi, vt sanaretur, diuus Hieronymus apparuit, Dæmonique imperauit, vt ab ea exiens palam faceret, quemadmodum se res de episcopo Syluano haberet, Illico liberata est mulier, & præsente Syluano, Syluanus alter iuxta illum conspectus, qui diabolica fraude ordine detecta, repente euanuit. Quin hoc exemplo non intelligit, quam cautos nos ac difficiles esse oporteat ad male de proximo existimandum? Quis vel etiam oculorum suorum testimonium in dubium non *1. Cor. 13.* *Marul. lib. 5. cap. 2.*

fatebitur posse reuocari? Aut cui dubium esse poterit, quin dæmon, qui inter fratres discordias serere studet, aliquãdo ludificetur oculos nostros, vt offensam & iniuriam, quæ nulla est, palam cernere videamur.

Tertius gradus patientiæ erit, vt si fieri possit, excusetur iniuria, & offensa etiã ex parte eius, qui intulit, videlicet cogitando vel ignoranter, vel non iniquo animo aliquid contra nos fecisse, aut nimia fiducia nostri liberius locutum, aut, vt sæpe accidit, celerioris linguę lapsu, aut per iocum, aut ex subito, ac repentino affectu, cui dominari difficillimum est. Conditiones etiam illas personarum attendamus, quarum meminit Seneca: Si puer est, indulgeamus, Nescit quid faciat. Si iuuenis, aut vir est, Excusemus; Facile feruens sanguis inflammatur: Si senex est, respectum caniciei habeamus: Si mulier est parum consilio valet: Si bonus est, ad correctionem fecit: Si malus est, noli mirari: Morbo, non iudicio facit. Deniq. quisquis sit, omnes quęrentes modos offensę extenuandę, nosmetipsos ad patientiam confirmemus. Hæc ille Pauli Abbatis discipulus adolescens docuit; quem Cassianus tradit quod tardius mensę ferculum apposuisset, coram magno monachorum cœtu colapho ab Abbate percussum esse: Nihil ille peccauerat, quod eam pœnam mereretur, tanta tamen patientia vsus est, ut non mutiret, non tristitiam fronte præferret, non uultum demitteret, non colorem mutaret. Vnde hoc? nisi quia Abbatis intentionem respexit, volentis discipuli patientię ijs, qui aderant documentum dare?

Marul. l. 5. cap. 2.

Quartus gradus est, vt contemnamus iniurias. Quem contemptum gentes quoque verę religionis expertes in maximo honore habuerunt. Itaque non aliter cum ijs, a quibus offendimur agere debemus, quam cum animantibus ratione carentibus nos gerere soleamus. Quis enim latrantem sibi canem non despiciat? Aut asello in via obturbanti irascatur? Cum igitur æque homo, ac bestia sine iudicio in hoc casu ducatur, vtriusque iniuriæ parem rationem habere debemus, ne peioris conditionis, vt Seneca inquit, hominem, quam bestiam extimemus. Siquidem bestiæ nos lædenti parcimus. De homine autem vindictam expetimus. Humaniter igitur Socrates, qui etiam calce a quodam percussus, patienter tulit; monitusque a quodam, vt hominem repercuteret; An, inquit, si meus me asinus percusserit, oporteat me quam primum in quadrupedem recalcitrare?

Quintus gradus, vt iniuria cum gaudio accipiatur, quod & Seneca gentilis auctor admonet. Lætior esto, inquit, quoties displices malis, & malorum de te existimationes malas veram laudationem tui inscribe. Malis enim displicere, laudari est. multo autem apertius ad hoc nos gaudium Christiana sapientia adhortatur. Hinc Paulus, Gaudeo, inquit, in pàssionibus pro vobis. & diuus Iacobus: Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis: Et diuus Bernardus, Verus humilis gaudet de contemptu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnit. Hoc gaudio exultasse Elisabetham Pannonię regis filiam accepimus, cui postquam amisso viro, Deo in paupertate seruire cœpit, nihil iucundius erat, quam vt aliis contemptui haberetur. Itaq. cum eam in via accurrens nota quędam ipsi fœmina impulsam a latere, in lutum euertisset, multo deturpata cœno CHRISTI ancilla, nihil indignationis prætulit, sed tacita tantum subrisit, gaudens se ab hominibus despici, vt placeret Deo.

Coloss. 1.
Iac. 1.
Marul. lib. 5. cap. 2.

Sextus gradus altius ad patientię culmen ascendens est, vt cum gratiarum actione iniurias, & offensas excipiamus. Quod aperte verbis illis CHRISTVS suadet, Benedicite maledicentibus vos. Cuius rei apud diuum Gregorium in Dialogis exemplum habemus Constantini cuiusdam nomine; qui cum statura exiguus esset, ac quidam obijecisset ei, per contemptum, quod nihil hominis haberet, protinus in amplexum eius irruit, eumq. summo cum honore constringere bra

chiis,

chiis,& osculari, magnasq. gratias,quod de se talia indicasset:Tu solus es,inquit,qui in me oculos apertos habuisti.

Septimus gradus, vt ei, a quo sumus lacessiti, bonum procuremus. Ad quod illud Apostoli adhortatur, bonum pro malo reddentes: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: quod quidem videmus sanctos præstitisse. De beato Mauro Abbate, qui diuo Benedicto in gubernatione successit, legimus, cum ei quidam hypocrisim, & simulatam sanctitatem obiecissent, eorumque vnus criminis particeps diuino iudicio subito expirasset, & in alios Dæmon insiluisset. Maurus pro illis est deprecatus,& mortuum vitæ restituit, & eos qui nequitiæ spiritu agitabantur, liberauit. Apollonius quoque monachus, & martyr cum in custodia detineretur, & Philemon quidam Choraules omnibus eum opprobrijs oneraret, suspirans: Fili, inquit, misereatur tui Deus, vt nihil horum, quæ in me obloquendo effudisti, reputet ad peccatum. His verbis ille corde compunctus, & fidem, quam insequebatur suscepit, & non recusauit martyrium. Addit Chrysostomus, & Cassianus ad charitatis perfectionem pertinere, vt ille qui læsus est, studeat etiam aduersarium mitigare, non solum dimittendo illatam iniuriam; sed blando sermone cor eius placando, vt erga se deinde sincerum affectum retineat.

1. Pet. 3. *Matth. 5.* *Marul. lib. 3. cap. 3.* *Ibidem.*

Octauus gradus est omnino iniuriarum obliuisci; quod in Leuitico suadet Dominus verbis illis: Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et in Eccl. omnes iniurias proximi tui ne memineris. Quam sane obliuionem gentiles quoque magnopere celebrarunt. Gentilium enim sunt illa; Iniuriarum remedium est obliuio, & illud: Turpe est maxime homini virtute prædito refricare iniurias, & odiorum sopitos cineres denuo suscitare. Hoc Cato ille exemplo suo ostendit; Percusserat eum quidam imprudens in balneo; veniam petenti respondit, non memini me percussum: Melius enim putauit omnino obliuisci, quam vindicare.

Leui. 19. *Eccli. 10.* *Senec. in prouerb. si sunt eius & Tull. 1 dial. de ami.*

Nonus gradus est, vt iniuriis, quæ nobis fiunt, nos ob delicta nostra dignos existimemus. Propter peccata enim, vt dici solet, veniunt aduersa. Hac se cogitatione ad patientiam armabat Lupus Trecassinæ vrbis Episcopus: Attila enim ciuitatem obsidente, interrogauit, quis esset, qui se armis lacesseret; vbi accepit Attilam flagellum Dei esse, ingemiscens ait: Et ego Lupus vastator gregis Dei, isto flagello dignus. Ergo portas reserari iussit. Ingrediuntur hostes, tecta vrbis pertranseunt, nihil hostiliter agentes, ne respicientes quidem ad quemquam oppidanorum, quasi neminem vidissent. Hanc tantam tutandæ ciuitatis gratiam Deus tribuit Lupo, vt qui se dignum flagello confessus fuerat, a flagello liber esset. Pari patientiæ firmitate GREGORIVS Pontifex Max. Mauritio Augusto filiisque eius se persequentibus dicitur scripsisse: Quoniam ego peccator sum, vos tanto magis, vt opinor, Deum vobis conciliatis, quanto magis me illi ignauiter seruientem, affligitis.

Marul. l. 5. cap. 2. *Ibidem.*

Decimus & postremus gradus erit, vt sicut Esther Assueri regis virgam osculata esse dicitur, ita nos virgam tribulationis osculemur, malaque quibus offendimur, a diuina prouidentia recognoscamus, cui voluntatem omnino nostram subijcere debemus. Nam, si quæ ab amicis veniunt, etiam si vilissima sint, cordi habere solemus, cur, quæ nobis Deus dederit, odisse volumus? Ideo dicebat CHRISTVS Petro, Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Et Iob, Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Hoc quoq. nos exemplo Dauid docuit: Maledicebat ei filius Iemini, volebat autē Abisai illum interficere. Dixit autem Rex Dauid, Dimittite eum, vt maledicat, iuxta præceptum Domini: Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodie.

Esther. 15. *Ioan. 18.* *Iob. 1.* *2. Reg. 16.*

His decem gradibus ſi ad Chriſtianæ patientiæ faſtigium aſcendere conabimur, proximisque noſtris omnem offenſam, & iniuriam dimiſerimus, dimittet quoque Deus nobis peccata noſtra; ac poſtquam pacis in terris cultores fuerimus, ad veram, quæ in cælo eſt, æternamque pacem traducet.






PRO SALUTE PROXIMI DEUM ORARE
VII
A
B
C
D
E·F·
G
H
I
K
STATE ERGO·SUCCINCTI LUMBOS·VESTROS IN VERITATE·ORĀTES OMNI·TEMPORE PRO OMNIBUS·SĀCTIS ET·PRO·ME·AD EPHES·CAP: ·VI·
DIXIT·QUE DAVID·AD DEUM EGO·SUM·QUI PECCAVI·ISTE GREX·QUID COMMERUIT I·PARALI: CAPITE ·XXI·
OBSECRO·PRIMUM·OMNIUM·FIERI·OBSECRATIONES ORATIONES·POSTULATIONES·GRATIARŪ ACTIONES·PRO·OMNIBUS·HOMINIBUS EPIST: I·AD·TIMOTHÆUM CAPITE·II·
L
·M·N·

17

AD SEPTIMAM ICONEM NOTAE.

A Orat Abraham pro ſodomitis. Lege etiam Marulum lib.2 cap.2. Gen. 18.

B Moſes orat pro populo. Exodi cap.7.8.9.10.14.17.32. Num.cap. 14.21. Deut.cap.23. Marul. lib 2.c.1. Sabell.lib.2.cap.4.

C Extendiſſe autem Hieremiam dexteram,& dediſſe Iudæ gladium aureum,qui erat oratio. Et de oratione lege lib. 1.Machab.cap.3.4. 6. 8. 9. lib.2. cap.9. 12. & Marul.lib.2. cap.2.& Sabell.lib. 2.ca. 5.vbi dicitur ille plus oratione,quam armis pugnaſſe. 2. Machab. 15.

D Petrus ſeruabatur in carcere, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Vt Petrus aſcendiſſet ad ſuperiorem partem domus,vt oraret. Act.12. & 10.

E Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos cediſti mihi, & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me. De oratione etiam Chriſti,lege Matthæi c. 14.& 26. Lucæ 9.& 22. Hortatur etiam ad oratioñe Lucæ 11. Ioan. 14. 16.& Lucæ c 18.vbi etiam agitur de oratione Publicani. & Matthæi cap. 6. docetur modus orandi. lege etiam Marul.lib 2.cap 1. Ioan.17.

F Exijt in montem orare,& erat ibi pernoctans in oratione Dei. Luc.6. Matth. 14.

G Sic ergo vos orabitis Pater noſter -- & ne nos inducas in tẽtationem; Sed libera nos a malo. Amen. Matth. 6.

H Dimitte eam,quia clamat poſt nos. Matth. 15.

I Mulier Chananæa clamauit dicens ei, Miſerere mei Domine fili Dauid,filia mea male a dæmonio vexatur. Matth. 15.

K Reſpondens centurio ait;tantum dic verbo,& ſanabitur puer meus. De oratione etiam Centurionis lege Actorum cap. 10. Matth.8.

L Dixitq. Dauid ad Deum. Domine Deus meus,vertatur, obſecro, manus tua in me, & domum patris mei: Populus autem tuus nõ percutiatur. 1.Para.21.

M Daniel vir deſideriorum intellige verba, quæ loquor ad te. Lege etiam Marulum lib.2.cap.1 & Sabell.lib.2 cap.4. Dan.10.

N Veni propter ſermones tuos. Princeps autem Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus,& ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. Dan.10.



PRO SALVTE PROXIMI DEVM ORANDVM

EXPLICATIO VII.



MNIBVS, quæ per nos fieri possunt præstitis proximo sanctæ charitatis officiis, superest, vt ad Deum bonorum omnium largitorem pias pro eo preces effundamus. Quacūq. ille fuerit in calamitate & miseria constitutus, iuuari precationibus nostris poterit, siue in corpore, siue in spiritu oppressus laborabit. Si non auro, & argento, suppeditatisque humanæ vitæ subsidiis fratrem iuuare commodum fuerit, quid impediet, quo minus illi reum propitium orando reddere studeamus? Longe plus quam doctrina, aut correctio, aut consilium, aut consolatio valebit oratio, quæ cælos penetrans ad Deum ascendit, eiusq. omnipotentis dexteræ opera implorat in ijs, in quibus humana vis deficit. Et iniurias quidem illatas dimittere, & perferre morosas proximorum imperfectiones in nobis est: vt vero ab inferēda iniuria proximus abstineat, perfectiorq. reddatur, sacrosancta oratione consequemur. Sicut igitur in rebus humanis, vbi indigenti per nos opitulari non valemus, ad virum potentiorem confugimus, orantes, vt ipse præsidio esse velit, ita in omni, quæ fratribus nostris occurrit necessitate, pium, ac misericors opus est diuinam ei opem, & misericordiam implorare.

Quod vero factam pro aliis orationem Deus benigne suscipiat, atq. exaudiat docet Salomon illis verbis. Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ. Hinc tot in lege veteri sacrificia semper cum deprecatione coniuncta, quæ pro Rege, vel pro populo fieri consueuerunt. Hinc Abraham pro quinque ciuitatibus, Iob pro amicis suis, Ionas pro Niniuitis, Moses, & Aaron pro filiis Israel, ceterique prophetæ sanctissimi pro aliis Deum, sæpe precati esse dicūtur. Quid de CHRISTO Saluatore nostro dicemus? Certe huius erga proximum misericordiæ exercendæ ipse in primis nobis auctor & exemplum extitit. Itaque cum formulam orandi discipulis traderet; Cum oratis, inquit, dicite Pater noster, cur noster & non meus, inquit Cyprianus, nisi quia insinuare voluit, generalem a nobis pro fratribus faciendam esse orationem; nec pro nobis tantum, sed pro communi corpore, Deum patrem nostrum esse inuocandum? Itaq. & illæ petitiones in plurali numero semper enunciantur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Dimittite nobis. Ne nos inducas, Libera nos a malo. Expresse autem pro proximo orādum esse tum CHRISTVS præcepit, cum diceret, Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Nam si pro illis, qui persecutionibus, & cōtumeliis nos lacessierint, iubemur orare, quis dubitet quin eo magis pro ceteris, a quibus aut non læsi sumus, aut etiam beneficio affecti preces fundere debeamus? Rogauit pro interfectoribus suis CHRISTVS pendens in cruce: Pater, inquiens, ignosce illis; quia nesciunt quid

Sap. 18. — *Luc. 2.* — *Cypr. de oratione Dominica.* — *Matth. 5.*

faciunt.

faciunt. Præclara autem illa pro Apostolis, proq. tota Ecclesia, iam instante passionis tempore, a CHRISTO ad patrem dicta est oratio; Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt. Quid autem rogabat? Pater sancte serua eos in nomine tuo. Ac paulo post: Nō rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos a malo. & statim: Sanctifica eos in veritate. Demum se pro tota ecclesia orare significans: Non pro eis, inquit, rogo tantum, sed etiam pro his, qui credituri sunt, per verbum eorum, in oratione. Quia & pro capite Ecclesiæ speciatim rogauit, vt Petro indicat, cum ait: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. *Ioan. 17.* *Lucæ 22.*

Orationem igitur pro aliis faciendam esse non docuit solum Dei filius, verum etiam exemplo demonstrauit. Qui etiam nunc in cælo regnans, vt inquit Apostolus, accedit per semetipsum ad Deum, semper viuens, ad interpellandum pro nobis. Aduocatum enim habemus, teste diuo Ioanne, apud Patrem Iesum CHRISTVM iustum. Omnes quoque sancti in cælo orant pro nobis, vt in historia Machabæorum legitur, fortissimo duci Iudę ostensum esse per somnium; Oniam summum sacerdotem manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Vbi & de Ieremia propheta illa quoque verba habentur: Hic est fratrum amator, & populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei. Ad hoc eximiæ charitatis opus hortatur B. Paulus discipulum suum Timotheum verbis illis: Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Ephesios vero, vt & pro sanctis, viatores intelligens, & pro seipso precētur adhortatur. Orantes, inquit, omni tempore in spiritu, in ipso vigilantes, in omni instantia, & obsecratione pro hominibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei: quod ipsum, & a Colossensibus, & Thessalonicensibus requisiuit. *Hebr. 7.* *1. Ioan. 2.* *2. Machab. 15.* *1. Timo. 2.* *Ephe. 6.* *Coloss. 1.*

Sed & ipse pro aliis orare consueuerat, vt cum sæpe alibi, tum ad eosdem Colossenses, & Thessalonicenses scribens ostendit; Illis enim inquit: Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius. His autem similiter scribit: In quo etiam oramus semper pro vobis: vt dignetur vos vocatione sua Deus noster. Hoc vero, & in epistola sua D. Iacobus aperte suadet: Orate pro inuicem, vt saluemini. Hoc namq. mutua exigit charitas, vt alter erga alterum misericordia vtentes, diuinam nobis gratiam conciliare studeamus. Nunc videndum erit, qui sint illi, pro quibus orare nos Christiana charitas suadet. *2. Thes. 1.* *Iacob 5.*

Primum igitur pro ijs, quos certo scimus damnatos esse, non est orandum. Nam in inferno nulla est redemptio: imo peccatum mortale esset orare, quemadmodum pontificiis decretis cautum, & interdictum est. Vnde Augustinus. Si scirem, inquit, patrem meum esse damnatum, non orarem pro eo plusquam pro diabolo. Non minori enim illi, & Deum, & nos, quam dæmones odio prosequuntur. Itaq. nec sancti in extremo iudicio, pro peccatoribus æterno igne damnādis preces vllas ad Deum fundent, quemadmodum D. Gregorius docet; qui & si pro anima Traiani orasse in nonnullis historiis legatur, tamen neq. id omnino receptum est: & si id fecit, Deo peculiariter inspirante fecit. Incomprehensibilia enim sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius, qui viros singulari sanctitate, ac præcipuo secum amore coniūctos nonnunquam ad ea facienda Spiritus sancti instinctu compellit, quæ ceteris nō modo ad exemplum trahenda non sunt: sed ne omnino quidem tentanda. *c. pro obeuntib. 13. q. 2. & cap. placuit 23. q. 5.* *4. Dial. & lib. 34. moral. c. 12.* *Hac de re legendum est opusculum doctissimi Alphōsi Ciaconis Hispani.* *Rom. 11.*

Secundo pro his, quos certo scimus ad æternam beatitudinem peruenisse, orare non conuenit. Iam enim sunt in termino laborum suorum, nec precationum nostrarum auxilio indigent. Quare merito D. Augustinus inquit: Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.

Tertio pro omnibus aliis, seu viuentibus, seu defunctis, seu fidelibus, seu infidelibus generatim pium est orare. Charitas enim ab oratione neminem excludit, quemadmodum verbis illis D. Augustinus ostendit. Extende charitatem per totum *August.*

orbem, si vis CHRISTVM amare. & Gregorius, Impendenda charitas est omnibus & propinquis & extraneis. Nam quod pro infidelibus quoq. orare liceat, colligitur ex D. Paulo ad Romanos scribente: Fratres voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem; intelligit autem pro Iudæis adhuc incredulis. Hinc Ecclesia feria vj. maioris hebdomadæ, quo die recolitur memoria passionis CHRISTI, generalem pro omnibus hominibus orationem faciens, paganos etiã, & Iudæos & Hæreticos omnipotenti Deo cõmendat, quod videlicet ea die CHRISTVM pro omnibus redimendis, passum esse declaret.

Rom. 10.

Quarto speciatim pro quibusdã personis orare suademur, ac nominatim, vt pro principibus orationes fiant D. Paulus hortatur. Obsecro, inquit, fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, ac statim addit pro regibus, ac omnibus, qui in sublimitate sunt constituti. Vnde, & in actis legimus, cum Petrus seruaretur in carcere, orationem fusam esse pro eo ab Ecclesia ad Deum sine intermissione.

Act. 12.

Quinto non pietas tantum, sed gratitudo postulat, vt pro benefactoribus orationes nostræ ad Deum ascendant. Ita Elias, cum se viduæ Sareptanæ accepti beneficij gratia obligatum cognosceret, pro ea precatus, filio eius mortuo vitam reddidit. Quam gratiam Sunamitis hospitæ filio Eliseus quoq. impetrauit. Diuus quoq. Paulus se pro Onesiphori familia, a quo benigne recipiebatur, orasse solitum ostendit, cum ait: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit. Det illi Dominus inuenire misericordiam a Deo in illa die.

3. Reg. 17. *2. Timot. 1.*

Sexto, Illorum, qui nobis vel sanguinis, vel amicitiæ vinculo peculiariter coniuncti sunt, præcipuam in orationibus nostris memoriam retinere debemus. Nam si consanguinitatis, aut amicitiæ iura postulant, vt quibuscunq. rebus possumus, cõsanguineis & amicis benefaciamus, cur non hoc quoq. officium erga eos præstare cõueniet, vt pias pro illis ad Deum preces fundamus? Ingratus igitur filius, qui pro patre ac matre orare obliuiscitur: Inhumanus frater, qui fratris in oratione non meminit: Parũ fidus, ac beneuolus amicus, qui sibi soli, & nõ amico etiã Deo precatur.

Septimo pro inimicis, & his, qui nos persequuntur orare proprium est Christianæ & Euangelicæ perfectionis: Hoc enim aperte CHRISTVS apud Matthæum præcipit, cum inter pharisaicas traditiones a lege a se lata distinguens: Audistis, inquit, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuũ. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Quod quidem ita est intelligendum, vt, & in generali inimicos ab oratione nostra excludere impium sit: & speciatim, si specialis causa orandi occurrit, pro eis orare teneamur, puta si viderimus inimicum grauiter afflictum, & dãnationis periculo expositum. Omnibus enim quamtumuis aduersariis expetenda est gratia conuersionis, & cetera ad salutem necessaria. Nec sine culpa negari potest præsidium, quod illis per nos dari possit ad salutem necessarium. In omni autem occasione inimici meminisse, & erga eum ex charitate affici, insigne & laudabile opus est, & ex eorũ genere, quæ supererogationis vocantur. Hoc nos facere CHRISTVS docuit, pro ijs qui eum in crucem egerant patrem precatus: cuius exemplum & Stephanus protomartyr secutus, pro lapidantibus se, & Iacobus Apostolus pro ijs, qui eum de fastigio templi deturbarunt; & B. Agnes pro tortoribus suis, & innumeri sancti viri, sanctæq. fœminæ pro ijs, a quibus maxime infesto odio vexabantur, preces fuderunt.

Matth. 5.

Octauo pro peccatoribus facta oratio Deo gratissima est, qui vult omnes homines saluos fieri, nec lætatur in perditione viuentium. Andreas Apostolus huius nobis charitatis exemplum præbet, qui cum Nicolai cuiusdam iam senis incontinentiam vehementer doleret, ab hora tertia ad nonam Deum pro illo obsecrasse cum lachrymis narratur: Deinde cum orationi ieiunium adiunxisset, bonam esse oratio-

Marul. lib. 11. cap. 12.

nem, quemadmodum ait Tobias, cum ieiunio comperit. Nam quinta tandem die de cælo sibi a Domino dictum audiuit: Tua opera, o Andrea, Nicolaum, quem amiseram, inueni. Quis igitur talem Deo gratissimam orationem esse non videat, per quam Deus ipse testatus est, se id quod perdiderat inuenisse? *Tob. 12.*

Nono, tribulatis, vel in periculo aliquo & difficultate cōstitutis, si nō aliter subuenire possumus, vt oratione opem feramus, conandum est: ita cum leuaret manus Moyses, vincebat Israel. Vnde & in libro Iudith dicitur: Memores estote Moysis *Exod. 17.* serui Dei, qui Amalech non cū ferro pugnando, sed precibus sanctis deiecit. Quod *Iudith. 4.* tanto studiosius charitatis officium proximis in tribulatione constitutis impendendum est, quanto minus eos attente atq. hilariter orare sinunt mala, quibus premuntur, & perturbantur.

Decimo, pro infirmis preces ad Deum magno cum affectu mittendę sunt: ac nō pro vita tantum temporali; sed multo magis pro anima simul periclitante orandū. Hoc D. Iacobus suadet, cum dicit. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum. Saluabit autē, si Deus *Iacob 5.* preces exaudierit, non corpus tantum, sed & animam. Ita de Mutio Abbate narratur eum, cum cuidam iam animam agenti Deum precatus esset, trium annorū spatium ad pęnitentiam impetrasse. *Marul. l. 4.*

Deniq. memorię tenenda sunt pręclara illa Iudę Machabęi verba: Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur. Quod quidē *2. Machab. 12.* de illis animabus intelligendum est; quas in purgatorio donec penitus expientur, detineri existimamus. Itaq. idem, quem nominauimus, Iudas multa in Deum, atq. homines pietate insignis collatione facta, misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, iuste & religiose de resurrectione cogitans. Quod ipsum facere, multo magis esse Christianæ charitatis quis dubitet? cum præsertim ex tali oratione ille sit fructus maximus expectandus, quod cum ipsi, pro quibus orauerimus, in cęlum translati fuerint, tum ipsi quoque vicem nobis reddant pro nobis orando, vt eiusdem beatitudinis participes fieri possimus. Quod nobis Deus optimus maximus pro sua in nos immensa benignitate concedat.



DE VBERRIMIS PIORVM OPERVM FRVCTIBVS.

Legẽdus est ĩter ceteros Inno. III. ĩ lib. de eleemosyna, c. 1.

Fructus operũ misericordiæ ptinẽt ad bona

- **Externa**
  - Fœnerãtur varijs modis, vt legitur de illo, qui cum dedisset pauperibus L. numismata lapide in piscis vtero reperto ccc. retulit Sophro. c. 185. & Prouerb. 19. habetur. Fœneratur Dño qui miseretur pauperis, & vicissitudinẽ suã reddet ei.
  - Ad hæreditatem amplissimam euehunt, sic aurifici cõtigit, quod mercedem suam in auream crucẽ conijecisset. Sophro. c. 200.
  - Inopiã & egestatem etiam præsenti beneficio subleuant, vt de Mosco refert Sophro. c. 186.
  - Dona pristinæ mensuræ restituunt. sic legitur de S. Brigida in eius vita, tom. 1. Lippom. & in vita S. Eleazarij comitis, tom. 5. & de pallio restituto S. Elisabethæ, tom. 6.
  - Faciunt ne Deus vnquam ipsis desit. sic legimus duos pulcherrimos adolescentes panes candidissimos attulisse D. Dominico, vt est in eius vita tom. 4.
  - Abundantiam etiam posteris elargiuntur, vt de S. Adhelardo apud Suriũ tom. 1. & de Sareptana in S. S. lege etiam Gregorium in dial. vbi ait terrenas substantias quia pauperibus distribuuntur multiplicari. & hom. 19. in Ezechiel. pene ad calcem, & Leonem ser. 4. de quadr. initio pene, & serm. 6. de ieiunio decimi mensis, & de collectis. & serm. 2. de ieiunio septimi mensis pene in medio, vbi affert exemplum agricolæ, quod repetit serm. 5. de ieiunio decimi mensis post initium, & vtitur sæpe D. Chrysost.
  - Ad matrimonium & statum nobilissimum euehũt. exemplum habes apud Sophro. cap. 201.
  - Res vilissimas in pretiosissimas conuertunt, vt de S. Marciano in eius vita apud Metaphrastem, tom. 5. Lippom.
  - Reddũt gratiam. sic in S. S. resurget & retribuet retributionẽ. lege Aug. in lib. de decẽ cordis, vbi arguit eos, qui se filijs seruare sua falso argumẽto pietatis aiũt. & D. Chrysos. in Gen. cap. 30. hom. 55. fuse, vbi docet quam liberalis sit Deus nobiscum etiam in hac vita.
- **Corporis**
  - De seruitute vendicant, vt est apud Sophro. c. 186.
  - A mortis imminente periculo liberant, vt legitur apud Petrũ Cluniacensem lib. 2. de miraculis.
  - Corpora interdum reddũt incorruptibilia, ac odore fragrantia post mortẽ, vt de Theophanio comite scribit Gregorius lib. 4. dial. cap. 27.
  - Prohibent minas, vt de illa muliere legitur, quę a Zenone Imp. vindicata est. Sophro. cap. 175.
  - Defendunt, vt de Abdia legitur, qui quod prophetas pauisset, ab igne ereptus est. Lege Leonem ser. 2. de Ascensione ad finem, vbi etiam docet nihil nos magis a Diaboli dolis defendere eleemosyna. lege etiam de Tobia in eius libro, vt sit liberatus. & in S. S. etiã legimus de misericordia: Super scutum potestatis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.
- **Animi** Vide in seq. pag. ad signum *

* Animi, in vita
- Præsenti
  - Ad fidē & baptiſmū gentiles cōuertūt. ita in Sophro. c. 185.
  - Ab imminenti damnatione eripiunt, vt de S. Serapione habetur apud Leōtium epiſcopū, & de Petro Telonario apud eundē: & nos a magna ſarcina liberare miſericordiæ opera docet Auguſtinus lib. de diſciplina Chriſtiana.
  - Augent gratiam, & ad maiores virtutes extollunt, vt de Troilo apud Leontium Epiſcopum.
  - Mundant. Date, inquit Dominus, eleemoſynā, et ecce omnia munda ſunt vobis.
  - Redimūt. Hic Daniel eſt allocutus Nabuchodonoſor. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas eleemoſynis pauperum. forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.
  - Orant. Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa orabit pro te. D. Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum ſic ſcriptum reliquit: Nō memini me legiſſe mala morte mortuum qui libenter opera pietatis exercuit. Habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri.
  - Reſiſtunt peccatis. Ignem ardentem aqua extinguit, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Legendus eſt D. Ambro. ſerm. 31. de eleemoſyna, & de muliere Samaritana, & D. Chryſoſt. hom. 78. in Matthęum paulo poſt dimidium.
  - Purgant peccata. Ipſa eſt quę purgat peccata. Loquitur autem Tobias de eleemoſyna.
  - Perficiunt. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus apud Matthæum. Lege etiam Ambro. lib. 1 offic. cap. 11. vbi affert exemplum Iob.
  - Saluant. Quia Zachęus ſua pauperibus diſtribuerat, Dominus dixit ſalutem domus ſuæ factā eſſe. & alibi dicitur: Salus tua coram te orietur. & Leo Pont. in ſerm. de collectis vocat eleemoſynam alterum baptiſmi genus.
  - Donis cęleſtibus ornant. Abdias quia pauit prophetas donari meruit ſpiritu prophetię.
  - In Dei memoriam deducunt. In Actis Apoſtolorum Angelus Centurioni ſic retulit. Orationes tuę & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. quem locum mirifice auget D. Chryſoſt. hom. 9. de pęnitentia.
  - Impetrant. Inuocabis Dominum, & exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adſum.
  - Lucem exhibent. Hinc erumpet quaſi mane lumen tuum. quem locum pulcherrime explicat Greg. Nazianzenus Orat. 16. de pauperum cura, ad finem. & alibi in S. S. habetur. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuę erunt ſicut meridies.
- Futura
  - Dant quietem. Requiem dabit tibi Dominus tuus ſemper.
  - Theſaurum pręparant. Da pauperibus, & habebis theſaurum multum in cęlis. Matthęi. 18.
  - Docent vitam ęternam. Ita apud Tobiam faciunt inuenire vitam ęternam.
  - Faciunt vt qui pauperes non erubuerint, nec Deus erubeſcet eos ſuper cęlos. lege Greg hom. 39. in Euang. non procul a fine de Martyr.
  - Dant gloriam. Anteibit faciem tuam, & gloria Domini colliget te. lege Chryſoſt. hom. 33. ad populum Antiochenum.
  - Dant ęterni regni poſſeſsionem, vt patet in Euangelio. Venite benedicti Patris mei, poſsidete regnum.



DE MODO EXERCENDI OPERA MISERICORDIAE

ENARRATIO VLTIMA.



BSOLVTIS explicationibus omnibus singulorum misericordiæ operum, cum corporalium, tum spiritualiũ, non tam ornate quam vtiliter, vt materies postulabat, & quãtum nostra tulit imbecillitas; iam cum in calce operis versemur, operępretium fuerit Christianis hominibus eiusmodi operum studiosis indicare modum, quo eadem exornare præclaris quibusdam circumstantiis, & vberioris meriti cumulo augere possint. Nam cum & affectus misericordiæ à natura ingeneratus sit, similiaq. multa opera & ante latum Euãgelium Hebræi, & Ethnici ediderint, quis dubitet cum Dei filius in mundum venerit, vt noua lege nouum sibi populum acceptabilem eligeret, voluisse etiam, vt quæ ipse edocuit, nobisq. commendauit, in eorum obseruatione longe ceteris antecelleremus? Hoc est quod quodam loco dicebat: Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Ex quo loco colligitur voluisse CHRISTVM vt discipuli sui in quarumcumq. virtutum actionibus a ceteris secernerentur. *Matth. 5.*

Greg. p. 3. Past. adm. 2 En igitur quomodo magnus Pont. Gregorius primus docet nos quibus cõditionibus misericordiã proximis exhibitam adornare debeamus. Sic habet in pulcherrimo libro, quem Pastorale inscripsit. Admonendi sunt qui sua misericorditer tribuunt, ne tarditate petẽtes, nociue crucient, nec recipiẽdę hic gratiæ intentio subrepat; ne oblatum munus coniuncta tristitia absorbeat; ne in bene oblato munere animus plus quam decet hilarescat; ne sibi quidquam, cum totũ recte impleuerint, tribuant, & simul omnia, posteaquam peregerint, perdant. Nam ne sibi virtutẽ suæ liberalitatis deputent, audiant quod scriptum est: Si quis administrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus. Ne in benefactis immoderatius gaudeant, audiant quod scriptum est: Cum feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus; quę debuimus facere fecimus. Ne largitatem tristitia corrumpat, audiant quod scriptum est: Hilarem datorem diligit Deus. Ne ex impenso munere transitoriam laudem quærant, audiant quod scriptum est: Cum facis prãdium aut cænam, noli vocare amicos. Ne quę præbẽda sunt citius, sero præbeantur; audiant quod scriptum est: Ne dixeris amico tuo, vade reuertere, & cras tibi dabo, cum statim possis dare. Ne sub obtentu largitatis ea quæ possident, inutiliter spargãt, audiant quod scriptum est: Sudet eleemosyna in manu tua. Ne cum multa necesse sint, pauca largiantur, audiant quod scriptum est: Qui parce seminat, parce & metet. Hæc Gregorius & alia in eundem sensum, ex quibus præclaras exercendæ misericordiæ conditiones possumus adnotare, quas etsi non eodem ordine recitabimus; inde tamen decerptas esse facile pru-

1. Petr. 4. *Luc. 17.* *2. Cor. 9.* *Luc. 14.* *Eccle. 11.* *2. Cor. 9.*

dens lector intelliget.

Exercebitur igitur in primis misericordiæ opus humiliter. Quippe cum humilitas fundamentum sit omnium virtutum, in hoc maxime opere adhibenda est, quo Deum imitamur, qui vt scriptum est, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Valebit autem ad hanc in nobis humilitatem excitandam, si contemplati fuerimus nos quantum in nobis est, nihil esse; quicquid siue corpore siue animo valemus, totum a Deo esse: quod præclare Apostolus: Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Consideremus igitur nos non possessores & dominos, sed administratores & dispensatores, vt idem Apostolus alio loco ait. Qua consideratione alte mentibus nostris impressa, proculdubio, etsi Midæ, aut Cresi thesauros pauperibus elargiremur, nihil nostrum nos dare cognoscentes humiliaremur sub potenti manu Dei. 1.Cor. 4.

Secundo misericordiæ operi rectus finis præferri debet, in quo varius est hominum error temere agentium, nullumq. sibi certum terminum præstituentium, ad quem recto ferantur, præsertim cum idem opus a duobus fieri possit, cuius tamen merita solius finis differentia maximopere distent. Quæ enim est comparatio lucis ad tenebras, aut Christiani ad Ethnicum? Ethnicus liberalitatis suæ finem sibi proponit inanem gloriam, nominis posteritatem, soloq. humano quodam affectu ad eam exhibendam ducetur. Mitto illos, quorum profusissimæ largitiones sunt ad cupiditates explendas, populiq. plausus, ludis editis captandos, & violandam famam, pudicitiamq. mulierum, & alia non dissimilia scelera patranda. Hos vocant vulgo liberales, amplos, misericordes, quorum tamen opera vero fine destituta, non modo fructus non faciunt dignos vitæ æternæ; sed sæpenumero æternis cruciatibus aditum parāt. Qui itaq. salubriter misericors esse voluerit, misereatur propter Deū, misereatur propter finem aliquem honestum Deo gratum. Ad quod nos hortatur Augustinus verbis illis: Sufficit ad gloriam dantis, quod misericordia fœnerat Deū, quod pascit in paupere CHRISTVM, quod per alterius inopiam accipiat indulgentiam. Serm.76.de tempor.

Tertio exerceatur misericordia hilariter, maximaq. alacritate, & plenis beneuolentiæ oculis indigentibus subueniatur. quod quidem facile obseruabimus, si considerauerimus homines omnes eiusdem naturæ conditione inter se affines esse: si cogitauerimus CHRISTVM ipsum hominem pro nobis factum, se nobis æquasse, nec pauperem a diuite distinxisse. Quamobrem non parum eorum miserendum est, qui opera misericordiæ cum facere videantur, quia tamen ægre & permoleste ad illa adducuntur, præcipuum eorum fructum amittunt. Videas quosdam oculis ardentibus ad aspectum pauperis exscandescere, statimq. veluti in feras conuerti, ac maledictis incessere, vt etiam si tandem importunitate victi eleemosynam largiantur; multo tamen magis iurgia eorum molesta sint pauperibus, quam gratæ eleemosynæ. Hoc monebat S. Ambrosius, cum diceret: Non satis est bene velle, nisi etiam studeas bene facere; nec satis est iterum bene facere, nisi id ex bono fonte hoc est ex bona voluntate proficiscatur, hilarem enim datorem diligit Deus. Nam si inuitus facis, quæ tibi merces est? Vnde Apostolus: Si volens hoc ago, mercedem habeo, si inuitus dispensatio mihi credita est. Ac Naziâzenus: Frange esurienti panem tuum, & egenos, tectoq. carentes induc in domum tuam, idq. læto & alacri animo. Qui enim miseretur, inquit ille, cum hilaritate misereatur, ac beneficij gratia promptitudine ac celeritate congeminetur. Nam quod mœsto animo defertur, aut necessitate extorquetur, ingratū est, parumq. gloriosum. Lætandum est autem, non lugendum dum beneficium damus. Quod si aliquādo in historiis Sanctorum legimus eleemosynam importune extortā a Deo remuneratam fuisse, vt de Petro Tilmario diximus: ideo Deum fecisse putandum est, cum misericordiæ suæ abundantia, tum ad huius virtutis meritum ostendendum. Nec putandum, quin aliquis intimus affectus bo

c. Non satis dist.86. Erutum est ex lib. de offic. eiusdem. 1.Cor.9. Orat. de pauper. aman. Rom.12.

nus fuerit in eo qui talem eleemosynam importunitate victus est elargitus.

Quarto, velox & prompta esse debet misericordia. Nec enim procrastinãdũ est, & vacuus misere relinquendus: qui cito dat, bis dat. Itaq. vere misericordes oblatã dandi occasionem statim arripiunt. Ad quod nos adhortatur Gregorius illis verbis: Ne dixeris rediens redi, & crastina die dabo tibi: ne quid inter propositum tuum & beneficium intercedat. Vna est beneficentia, quæ moram non patitur. Quanta itaq. retributio eis erit apud Deum, qui ita prompti sunt, vt ne vocem quidem egentis expectent. In quibus ardens Spiritus sancti gratia nescit tarda molimina, Qui vltro considerato vultus pallore, tanquam CHRISTO se inuisenti occurrunt, nec semper necesse ducunt eiulatus audire, ipsam rem loqui existimant, ipsam oris maciem, vlcera ipsa exclamare. Id illis verbis suadet D. Augustinus. Perfecta fratres eleemosyna est, vt antea occurrat esurienti cibus, quam roget mendicus. Non enim est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. si tacet mendicus, loquitur pallor in facie. Festina pietas succurrere ne audias rogantẽ, ne quod debetur domino, vendices tibi. Imitare Deum tuum, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et ecce venit tibi pluuia ante quam rogas: descẽdit vbertas nocte dũ stertis; dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubãt elementa, fructus te nesciente effunduntur. Sed quoniam sunt sæpe qui fortunæ iniuria ad inopiam redacti, non modo petere stipem non audent, sed vix se in hominum conspectum dare; eorum qui vel tacentium miserentur digni sunt magnis laudibus. quod opus cum maximi momenti sit, non destiterunt ciues Romani in hoc præcipue genere misericordiæ, suam notam gentibus facere. Nam quod ante CHRISTI aduentum faciebant, vt in taberna meritoria milites emeritos, quos a mendicando pudor retardasset, exciperẽt, atq. alerent, vbi oleo effuso in natali Saluatoris misericordię eius signum editum est: nostra ætate ad Sanctorum Apostolorum (sic enim appellatur ea Societas) instituere Rom. ciues Sodalitatem, cui curę est ingenuas familias egestate pressas inuisere, solari, ac pecuniis exhibitis non ab egestate modo, verum a multis aliis periculis liberare. De quibus illud dici potest: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.

Quinto sit misericordia ordinata prudenter & discrete. Ordinatam enim charitatem diligit Deus, vt innuitur in Cãticis. & prima charitas incipit a seipso. Considerandum autem est quid præponderet primum in homine; hoc autem est anima in primis, & salus illius. Cum pręiudicio igitur animæ exerceri in quemquam liberalitas non potest, quoniam eodem tempore diuinum numen offendimus; pro seruanda tamen anima proximi, pati in corpore, rebusq. nostris temporalibus lex misericordiæ iubet, hoc ordine seruato a nobis ad eos, qui nobis maxime coniuncti sunt, gradatim quasi currente pietatis fluuio progredi debemus. Multa considerare iubet prudentia, & conditiones hominum, quibus subueniendum est, præsertim, si casus accidat, vt duabus personis vno tempore opem ferre oporteat, præponderandus qui in maiori necessitate reperitur, etiam si minus coniunctus, etiam si hostis & inimicus: ponderanda semper tamen vt adnotauimus animæ, corporisq. necessitas, semperq. anima corpori præferenda, ceteris paribus, simulq. in eadem occasione salus corporis magis vel natura coniuncti, vel ad vtilitatem publicam spectantis hominis anteferenda. Et quoniam innumeri casus, quibus hæc consideratio obseruari debet accidere possunt, eos prudentiæ Christianorum perpẽdendos, & in ijs libris discendos relinquimus, qui de casibus conscientiæ tractant. Satis sit adnotare Ambrosium, qui hæc habet, Dei traditio est, vt prius pascas parentes. Nam si iuxta diuinum oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto magis fames quę multo grauior est?& alibi. Probanda est & alia liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitatis; non tamen

Orat. de paup. amãdis.

Lib. homil. hom. 34.

Oros. lib. 6. cap. 20. & Paul⁹ diac. idem refert.

Psal. 40.

Cant. 2.

c. Ceterũ d. 86. & est desumptum ex lib. de offic. eiusdem. c. Probã da d. 86. & est itidẽ ex lib. de offic.

vt illi

vt illi ditiores fieri velint, ex eo quod tu conferre potes inopibus. Causam enim natura præstat non gratia. Et paulo post: Consideranda est in largiendo ætas, atq. debilitas; nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, vt senibus plus largiaris qui sibi iam nequeunt victum quærere, similiter & debilitas corporis prõptius est adiuuanda. *c. Considerã da. dist. 86. itidẽ ex lib. de offic.*

Sexto, liberalem decet esse misericordiam. Turpe enim est misericordiam exercere, & in ea idipsum desiderari quod eius proprium est. Qua de re sic scribebat D. Paulus: Necessarium existimaui rogare fratres, vt perueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem, hoc est eleemosynam, non tamquam auaritiam, sed tanquam benedictionem, vt constet omnibus vos liberaliter non egere, vt solent auari cõferre. Ac deinde causam affert cur liberaliter dandum sit. Hoc autem inquit dico, Qui parce seminat, parce & metet: qui autẽ seminat in benedictionibus, idest copiose & liberaliter de benedictionibus, hoc est cumulate & abundanter metet. Et ne quam extimesceremus inopiam, quo minus in his operibus liberales essemus, subdidit: Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. quod ipsum elegãtissime Cyprianus: Si vereris, inquit, ne si operari multum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriã forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus, finiri non potest, vnde in vsus CHRISTI impenditur, vnde opus cæleste celebratur. Nec hoc sibi de meo spondeo, sed de sacrarum scripturarum fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus sanctus, & dicit: Qui dat pauperibus, nunquam egebit: qui autem auertit oculum suum, in magna penuria erit. Quo ostendit liberales misericordes egere non posse. *2. Cor. 9.* *Psal. 111.* *Ser. de oper. & eleemo.* *Prou. 28.*

Septimo, misericordia illa Deo accepta est, quæ ex iuste acquisitis est. Rapere enim vt eleemosynam des, furti crimen non excusat. In quo illa declaranda esset dubitatio, quæ a Theologis copiose tractatur, cum multi sint, qui non bonis artibus opes acquirant, eas tamen iuste possident; vtrum ex illis eleemosynam iuste dare possint? Haud dubie iuste dant. Tales sunt histriones, meretrices, & alij generis eiusdem, qui tamen si in peccatis fuerint, non quidem ad gloriam sibi meritum, sed dispositionem aliquam dumtaxat diuina misericordia consequuntur. Quod vero Dominus aliquando commendauerit villicum iniquitatis, non hoc ideo quia aliena rapuisset; sed quia alienis bonis prudenter vsus fuerat, fecit. Qua parabola docere voluit, vt villicum imitati, ea inter pauperes distribuamus, quæ nobis ad vsum necessaria non sunt, quæue nostra proprie dici nequeunt; vt illi postquam a villicatione nostra amoti, hoc est, hac vita mortali perfuncti fuerimus, in æterna nos recipiãt tabernacula. *Lucæ 16.*

Octauo, misericordia conandum est, vt fiat in gratia Dei & in charitate; quod illis verbis admonet Apostolus: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Hæc communis est vox Sanctorum dicentium tum eleemosynas profuturas cum abiectis vitiis nouæ vitæ rationem iniuerimus. Cum audistis ait Augustinus omnia malefacta eleemosynis redimi, nolite hic intelligere vt intelligunt quidam peruersi: Eleemosynæ enim possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita si mores mutaueris. Si autem in eisdem malis perseueraueris, eleemosynis tuis non corrumpes iudicium Dei: quod aliis attigimus locis in operis totius cursu. Satis fuerit hic breuiter adnotasse, non vt homines, qui in statu aliquo peccati reperiuntur, ideo ab eleemosynis largiendis, & piorum operum vsu abstineantur cõmemorasse, cum misericordiam aliquam esse dispositionem ad consequendam Dei gratiam, vt a peccatis liberentur, certũ sit: quod lector videre poterit in tertia expli- *1. Cor. 13.* *L. hom. homi. 19.*

catione, quo loco id copiose tractauimus.

Postremo & vltimo notandum, bonam voluntatem exercendi misericordiam, cum aliud fieri non potest, conditionem vnicam esse, quæ omne misericordiæ meritum complecti possit. Regnum Dei scribit Gregorius tantum valet quantum habes. Valuit Zachæo dimidium substantiæ, valuit viduæ duobus minutis, valuit alteri calice aquæ frigidæ. Sed fortassis nec calix aquæ frigidæ suppetit qui indigēti prębeatur? Etiam hoc securitatem nobis promittit sermo diuinus. Redēptore etenim nato, cæli ciues ostēsi sunt qui clamarent, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis.

Hom. 5. in Euang.
Luc. 19.
Marc. 12.
Matth. 10.
Lucæ 12.

Ex quibus patet quam sit facile regnum Dei sibi comparare. Enitamur igitur omnes hæc executioni mandare, quę è doctrina CHRISTI, & Sanctorum exemplo, & natura ipsa dictante didicimus; de quibusque nos in extremo iudicij die CHRISTVS est interrogaturus, curemusq. ex eorum numero esse, quibus ipsius iudicis ore dicetur: Quoniam misericordiam exercuistis, Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi. quod nobis idem ille concedere dignetur, cuius misericordia regnat in sæculum sęculi.

Matth. 5.

Laus Deo opt. Max. eiusq. Genitrici Mariæ.

F I N I S.



ROMAE
Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini,
In via Peregrini. M. D.LXXXV.